

30
4
5

CIÓN GI

3

RECENT ADVANCES IN NOTION

B464
1035

1935
c1

c.1





1080020609

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



ORDO

IUDICIALIS PROCESSUS CANONICI

INSTRUENDI

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IVO BENEDETTI

IN S. THEOLOGIA DOCTOR - S. ROMANAE ROTAE ADVOCATUS

ORDO

IUDICIALIS PROCESSUS CANONICI
INSTRUENDI

(Pro Curiis et Tribunalibus dioecesanis)




UNIVERSITÀ DI TORINO
Biblioteca Universitaria

TAURINI (ITALIA)

Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congregationis
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

MCMXXXV

44435



V. Nihil obstat.

Taurini, die 26 Iunii 1934.

Theol. PIUS BATTIST, *Censor Deleg.*

Imprimatur.

Can. FRANCISCUS PALEARI, *Provic. Gen.*



FONDO MINISTERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (11-IX-34).

Copyright (1934) by Casa Editrice Marietti - Torino (Italy).


Putans me aliquid boni pro Curiis Episcopalibus, ac pro Tribunalibus dioecesanis facturum, hoc parvum opus seu Ordinem iudicialis processus canonici instruendi concinnavi. Apud S. R. Rotam advocatus, necessitatem huius Ordinis pro aliquibus dioecibus et utilitatem pro pluribus animadverti.

Fortassis aliquid perfectius desiderabitur, sed, quia novum opus, spero tamen vultu benevolo fore acceptum.

Datum Interamnae die 15 octobris 1933.

IVO BENEDETTI
S. Rom. Rotae advocatus.

007363



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL

PARS PRIMA

DE CONSTITUTIONE TRIBUNALIS

CAPUT I.

DE OFFICIALI

Can. 1573. — § 1. Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.

1. Episcopus etiamsi possit videre per se causas, et sententias ferre, tamen, praesertim in rebus gravioris momenti, hoc non expedit, et ex iure statutum est ut Officialis eligatur, qui sit iudex cum potestate ordinaria et unum tribunal constituat cum Episcopo (can. 1573, § 2), sed nequit iudicare causas ab Episcopo sibi reservatas, sicut Episcopus nequit reformare vel revocare processum confectum vel sententiam ab Officiali prolatam. Si numerus causarum hoc suadeat, Episcopus etiam Vice-officiales nominare potest, qui, sicut Officialis, sint non minus triginta annorum, integrae famae, doctores vel saltem periti in iure canonico (can. 1573, §§ 3-4). Debent se abstinere a recipiendis muneribus, et etiam extra iudicium ab acceptione personarum, debent iudicare non ex privata scientia factorum, sed ex actis et probatis in iudicio.

2. Suscepto munere, coram Ordinario vel eius Delegato emitte debet iusiurandum de munere fideliter adimplendo tacto pectore et invocato Dei Nomine (cann. 1621-1622).

3. Sicut Vicarius Generalis, est amovibilis ad nutum Episcopi, sed tempore sedis vacantis non cessat, etiamsi eadem persona sit Officialis et Vicarius generalis, sed a novo Ordinario confirmari debet. Etiam in aliis causis in quibus ius non statuit tribunal collegiale (can. 1576), Officialis duos assessores adsciscere valet, quos tamen eligere debet ex iudicibus synodalibus vel pro-synodalibus.

Episcopus hac formula Officialem nominare potest:

Cum ex SS. Canonum dispositione teneamur in adiutorium Nostri Officii Pastoralis Officialem eligere ad causas cognoscendas et decidendas, Nos aciem Nostrae mentis in Te N. N. dirigentes, de prudentia, scientia, iuris peritia, aliisque, quibus polles virtutibus, plene confisi, Officialem ad Nostrum beneplacitum tenore praesentium constituimus et deputamus, cum omnibus iuribus et oneribus, quae in can. 1573 et seq. statuuntur.

In quorum fidem etc.

Datum.....

Cancell. Episc. N. N.

N. Episcopus.

Exemplar formulae iurisiurandi ab Officiali emittendi coram Ordinario:

Ego N. N. in Officialem Tribunalis dioecesis electus, spondeo, voveo ac iuro munus et officium mihi demandatum me fideliter, quaecunque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, exsecuturum, secretum officii circa omnia, quae ratione mei muneris noverim, et maxime circa documenta secreta, et disceptationem in consilio habitam, servaturum. Sic me Deus adiuvet et haec SS. Dei Evangelia.

CAPUT II.

DE IUDICIBUS SYNODALIBUS

Can. 1574. — § 1. In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur, ut potestate ab Episcopo delegata in litibus iudicandis partem habeant, quibus nomen esto iudicum synodali, aut pro-synodali, si extra Synodum constituentur.

1. Episcopus vel in synodo, vel extra, si synodus locum non habuit, nominare debet iudices non infra quatuor, non ultra duodecim. Si in synodo, non indiget consilio Capituli Cathedralis, si extra synodum cum consilio Capituli eligi debent, et officio cadunt post decennium, vel prius si nova synodus celebretur, ita ut omnes, etiam substituti, per deficientiam aliquorum cadant, sed denuo nominari possunt. Removeri autem nequeunt ab Episcopo ante tempus a iure statutum, nisi gravi causa et de consilio Capituli Cathedralis. Iusiurandum ut in praec. art. praestare debent.

Episcopus hac formula eos nominare potest:

Remo N. N. salutem et benedictionem in Domino.

Cum ex can. 1574 Cod. iuris canonici teneamur iudices synodales eligere ad causas cognoscendas a Nobis deputatos, Nos te prudentia, probitate, iuris peritia praeditum noscentes, inter iudices synodales (seu pro-synodales) libenter adnumeramus. Volumus autem quod iusiurandum, a can. 364 praescriptum, quam primum coram Nobis praestes.

In quorum fidem etc.

Datum.....

Cancell. Episc. N. N.

N. Episcopus.

CAPUT III.

DE AUDITORIBUS

Can. 1580. — § 1. Potest Ordinarius unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere.

§ 2. Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit.

1. Ordinarius, Officialis vel Iudex deputatus, auditorem vel auditores eligere possunt quos convenit eligi ex iudicibus synodalibus. Auditor habet officium instruendi processum, seu citandi testes, eos audiendi, et alia acta necessaria ad processus instructionem usque ad sententiam, quam ferre nequit. Est ad nutum Episcopi vel iudicis et iusta de causa removeri potest. Iusiurandum praestare debet.

Hac formula eligi potest:

Cum ex dispositione canonis 1580 Nobis facultas data sit Iudicem instructorem eligendi, Te N. N. probitate et aestimatione praeditum in auditorem pro causa X, quae apud Tribunal Dioecesanum agitata est, eligimus ac deputamus, praestito iureiurando de munere fideliter adimplendo et de secreto servando.

In quorum etc.

Datum...

Cancellarius Episc. N. N. N. Episcopus (Iudex, vel Officialis).

CAPUT IV.

DE TRIBUNALI COLLEGIALI

Can. 1576. — § 1. Reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio:

1º Causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis, et matrimonii, vel de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, tribunali collegiali trium iudicum reservantur;

2º Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important, reservantur tribunali quinque iudicum.

§ 2. Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque iudicum cognitionem committere potest etiam aliarum causarum, idque praesertim faciat quando de causis agitur quae, attentis temporis, loci et personarum adiunctis et materia iudicii, difficiliore et maioris momenti videantur.

§ 3. Duos vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, eligat per turnum.

1. Quando ex can. 1576 requiritur tribunal collegiale, cui praeesse potest etiam ipse Episcopus, sed expedit ut praesit Officialis, vel Vice-Officialis, iudices eligantur oportet ab Ordinario inter syno-

dales et eos per turnum eligat. Tamen in peculiaribus adiunctis, sive personarum, sive locorum, Ordinarius pro sua prudentia etiam non synodales eligere potest. Tribunal collegialiter procedere debet sive in instructione processus, sive in sententia ferenda, quae ferri debet per maiorem suffragiorum partem.

Tribunal collegiale Ordinarius hac formula constituit:

Taurinen.

Testamenti N. N. (aut nullitatis matrimonii N. N.)

Cum nobis oblatus sit supplex libellus ab actore N. N. ut coram Tribunali primae instantiae causa pertractetur, ex capite... ipsum libellum remittimus Revmo Curiae Nostrae Officiali, ut causam pertractet ad normam iuris.

Cum autem ex can. 1576, in re tanti momenti, requiratur Tribunal collegiale, ipsum iuxta canones rite constituendum volumus et per praesens decretum deputamus et nominamus ad huiusmodi causam pertractandam, una cum supradicto Officiali, in Iudices adiutores Revm. N. N. et Revm. N. N., in Promot. iustitiae (vel Defensorem vinculi) Revm. N. N., in Notarium Revm. N. N., in cursorem et apparitorem Rev. D. N. N., tribuentes eis facultates necessarias et opportunas ad omnia acta iudicialia explenda usque ad publicationem sententiae.

Datum ex Nostra Episc. residentia die...

Cancell. Episc. N. N.

*N. Episcopus
(vel Vicarius Generalis
de speciali mandato).*

CAPUT V.

DE PROMOTORE IUSTITIAE ET VINCULI DEFENSORE

Can. 1586. — Constituatur in dioecesi promotor iustitiae et defensor vinculi; ille pro causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus; iste pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii.

Can. 1589. — § 1. Ordinarii est promotorem iustitiae et vinculi defensorem eligere, qui sint sacerdotes integrae famae,

in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, ac prudentiae et iustitiae zelo probati.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis alumnus.

1. Promotoris iustitiae praesentia requiritur in causis criminalibus, sed etiam in contentiosis, quando iudicio Ordinarii tuendum est bonum publicum. Vinculi defensoris praesentia requiritur in causis matrimonialibus, vel S. Ordinationis. Eorum absentia ex defectu citationis, acta irrita sunt. Si legitime citati non interfuerint, acta valent, sed eorum examini subicienda sunt. Duplex officium etiam in eadem persona cumulari potest, sive ad universalitatem causarum, sive pro singulis causis. Singulis vicibus iusiurandum de munere fideliter adimplendo emittere debent, nisi sint electi ad universitatem causarum.

Episcopus eos nominare potest hac formula:

Cum ex SS. Canonum dispositione eligendus sit Promotor Iustitiae (vel Defensor Vinculi), Te N. N. probitate, aestimatione et legum peritia praeditum in Promotorem Iustitiae (vel Vinculi Defensorem) pro causa X, quae apud Tribunal dioecesanum agitata est (vel ad universitatem causarum) eligimus et deputamus, praestito iureiurando de munere fideliter adimplendo, et de secreto servando.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Cancell. Episc.

N. Episcopus.

CAPUT VI. DE NOTARIO

Can. 1585. — § 1. Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta.

§ 2. Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere debet unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Ordinarius aliquem pro ea causa iam designaverit.

1. Notarius sive inter clericos, sive inter laicos eligi potest, sed in iure peritus et bonae famae. Non excommunicatus, nam acta tunc possunt infirmari; non vitandus, nam instrumenta ab ipso confecta nulla sunt (Sebastianelli, *De iud.*, c. II). Tenetur emittere iusiurandum de munere fideliter adimplendo et secreto servando, in iis quae ipsi, secreto, commissa sunt, et omnia acta subscribere nomine, cognomine et qualitate Notarii, sub poena nullitatis actus, et sigillum apponere.

Hac formula Notarius eligi potest:

Cum ex SS. Canonum dispositione eligendus sit Notarius, Te N. N. probitate et legum peritia praeditum in Notarium pro causa X, quae apud Tribunal dioecesanum agitata est (vel ad universitatem causarum) eligimus ac deputamus, praestito iuramento de munere fideliter adimplendo et de secreto servando.

In quorum etc.

Datum...

Cancell. Episc. N. N.

N. Episcopus

CAPUT VII.

DE CURSORE ET APPARITORE

Can. 1591. — § 1. Ad acta iudicialia intimanda, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituentur cursores sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, executioni mandanda.

§ 2. Eadem persona utroque officio defungi potest.

1. Officium cursoris et apparitoris definitur a dicto can., sed hoc tantum observandum, quod in qualibet Curia existere debet, et si desit, ad hoc officium explendum aliquis designandus est pro particulari processu.

Cursor est persona publica in foro ecclesiastico, proinde cum refert iudici, aut notario, se citasse, ut habuit in commissis, vel acta iudicialia executum fuisse, hae relationes praesumptione iuris publicam fidem merentur.

Cursor et Apparitor hac formula nominari potest:

Cum ex SS. Canonum dispositione eligendus sit Cursor et Apparitor, Te N. N. probitate et aliis requisitis praeditum in Cursorem et Apparitorem pro causa X, quae apud Tribunal dioecesanum agitata est (vel ad universitatem causarum) eligimus, praestito iuramento de munere fideliter adimplendo et de secreto servando.

In quorum fidem etc.

Datum...

Cancell. Episc. N. N.

N. Episcopus.

CAPUT VIII.

DE IUREIURANDO TRIBUNALIS

Can. 1621. — § 1. Excepto Episcopo qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.

§ 2. Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali exempta idem iusiurandum praestare tenetur cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.

1. Tribunal collegiale nominatum ab Episcopo pro causis, de quibus in can. 1576, coram ipso Episcopo vel eius delegato iusiurandum praestare tenetur, sed cum Officialis vel Iudex delegatus habeat facultatem, etiam in aliis causis, sibi adsciscere iudices adiutores, tunc hi adiutores iusiurandum emittere debent coram Officiali vel Iudice, qui eos nominavit. Item hoc praestare debent omnes alii, Prom. iustitiae, Defensor vinculi, notarius et cursor. Si hi omnes nominati sint ad universitatem causarum, tunc sufficit ut iusiurandum praestetur ante officium susceptum, aliter singulis vicibus.

Notarius de praestito iuramento actum redigere debet, et potest his verbis uti:

Curia Episcopalis N.

Tribunal

Bononien.: Nullitatis matrimonii N. N.

Instrumentum iuramenti praestiti a constit. tribunali.

Ego infrascriptus notarius fidem facio quod die... mensis..... anni..... coram Revmo DD. Vicario Generali Exmi Ordinarii huius Dioecesis, duo Iudices adiutores, Vinculi defensor et alii deputati ab eodem Exmo Episcopo, decreto diei etc. pro constitutione processus in causa, de qua supra, iuramentum de munere fideliter obeundo et de secreto servando, tacto pectore, more sacerdotum, coram SS. Evangeliiis, praestiterunt proferentes singuli sequentem formulam, quam omnes pariter subscripserunt, ut infra:

«Ego N. N. in deputatus, spondeo, voveo, ac iuro munus et officium mihi demandatum, fideliter, quaecunque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, executurum; secretum officii circa omnia, quae ratione mei muneris noverim, et maxime circa documenta secreta, et disceptationem in consilio habitam, servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec SS. Dei Evangelia».

firmatus N. Iudex

N. Iudex

N. Def. vinc.

N. Cursor

N. Notarius

Rev.us D. Officialis iuramentum non praestitit, quia, cum sit deputatus ad universitatem causarum, iuramentum praestitit coram Exmo Episcopo.

loc. † sigilli

N. Notarius.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL

PARS SECUNDA

DE PROCESSU

CAPUT I.

DE LIBELLO LITIS INTRODUCTORIO

Can. 1706. — Qui aliquem convenire vult, debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur.

Can. 1708. — Libellus quo lis introducitur debet:

1º Expressimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur;

2º Indicare, generatim saltem, quo iure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3º Subscribi ab actore vel eius procuratore, apposis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

1. Iudicium introducitur per libelli oblationem, quae fieri debet iudici competenti, seu Ordinario dioecetano, in prima instantia, prae oculis habito principio iuridico: actor sequitur forum rei, sive ratione domicilii vel quasi-domicilii (can. 1561), vel ratione loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa est (can. 1564); vel in causis matrimonialibus ratione loci in quo

matrimonium celebratum est, aut in quo pars conventa, vel, si una pars sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet (can. 1964); vel ratione loci, in quo contractus initus est, vel adimpleri debet (can. 1565).

2. Causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato exclusive cognoscit S. Congr. de disciplina Sacramentorum; causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum S. Congr. S. Officii; alias causas de quibus in can. 1557 Tribunal vel Commissio cui eas Summus Pontifex commiserit.

Si tamen actor ex specialibus rationibus cupiat ut suam causam tractetur in prima instantia apud S. R. Rotam, debet porrigere libellum Supr. Trib. Signaturae Apost. petens a Rom. Pontifice ut sibi concedatur commissio ad S. Rotam. Si Signatura Apost. commissionem concedat, actor supplicem libellum ad S. Rotam mittat ut causa introducat in prima instantia.

3. Libellus tribus partibus constare debet, nempe narratione facti, medio concludendi, et conclusione. In prima parte narrandum factum cum necessariis circumstantiis, et nominibus actoris, conventi, et iudicis. In altera exprimi debet causa qua petitur: in postrema parte exprimi debet quid petatur clare, non conditionate, non generatim, vel alternatim. Adici possunt clausulae salutares, e. g. salvo iure addendi, corrigendi etc.

Libellus ante litis contestationem corrigi vel mutari potest. Oblatio libelli est solemnitas substantialis, quae praeteriri nequit.

Qui in libello asserit, ei incumbit onus probandi.

4. In causis matrimonialibus habiles sunt ad accusandum, seu ut actores libellum porrigere valent:

1° Coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa, nempe causa formalis, non materialis, quae excludit dolum vel fraudem in legem.

2° Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis. Reliqui omnes, etsi consanguinei non habent ius matrimonium accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel Prom. iustitiae denuntiandi (can. 1971).

Exemplum supplicis libelli:

Il Superiore Generale della Congregazione N. N. espone:

In seguito alla nota soppressione delle Congregazioni in Francia dovette, nel 1903, lasciare il patrio suolo e trasferire la Casa Genera-

lizia e precisamente nella diocesi N., dove trovò paterna accoglienza da quell'Ecc.mo Ordinario.

Il Vescovo, che apprezzò ben presto lo zelo e l'attività della Congregazione, la quale aveva ottenuto il riconoscimento secondo le leggi dello Stato, nel 1907 con atto del 18 Settembre « en témoignage de satisfaction pour leur ferveur et leur régularité dans les observances de leur Congrégation et pour contribuer aussi à l'affermissement de leur œuvre de formation religieuse des enfants dans les écoles des paroisses ou les académies des villes ou des villages », cedette un terreno ai « Frères » che desideravano di trasferirsi nella parrocchia di N. per costruirvi la Casa Generalizia ed il Noviziato con la espressa condizione che se per avventura avvenisse che i detti Religiosi si trasferissero altrove, la Corporazione Episcopale rientrerebbe nella proprietà del detto terreno salvo a determinare per mezzo di un arbitrato il compenso dovuto ai Religiosi per i fabbricati e per le migliorie apportate al terreno.

La Congregazione venne a trovarsi in difficili condizioni col nuovo Ordinario, e le cose si aggravarono a tal punto che si dovette decidere di abbandonare la diocesi e tornarsene in Francia, dove attualmente ha sede.

Si procedette così, a termini dell'atto di cessione alla costituzione del Collegio arbitrale; il Vescovo nominò il Rev. N. procuratore del Seminario, il Superiore della Congregazione nominò il N. N. agente d'assicurazioni ed i due così nominati scelsero il terzo arbitro nella persona del Sig. N. intraprendente di lavori. Il collegio arbitrale così costituito procedette all'apprezzamento del fondo, dei fabbricati e accertò che l'indennizzo da darsi ai Religiosi per i fabbricati e le migliorie apportate dovesse essere di dollari 40.000.

Ma l'arbitro nominato dal Vescovo non volle acconsentire a questa somma ritenendo giusto un indennizzo di dollari 15.000, e passato qualche giorno senza che si fosse potuto venire ad un accordo, gli altri due arbitri emisero, in data 16 luglio innanzi ad un pubblico notaio, il loro lodo nel quale stabilirono appunto che l'indennizzo dovuto ai Religiosi per le migliorie era di 40.000 dollari.

Il Vescovo non volle accettare tali conclusioni ed insistette nella offerta di 15.000 dollari che non venne accettata.

Il Superiore della Congregazione si rivolse al Delegato Apostolico che non credette di prendere alcuna decisione e consigliò di rimettere la questione all'Arcivescovo di N. N., al quale il Procuratore della Congregazione si rivolse domandando che il lodo arbitrale del 16 luglio 1920 fosse dichiarato valido e legittimo e per conseguenza

fosse ordinato alla Congregazione Episcopale di pagare la somma di 40.000 dollari secondo le conclusioni dello stesso lodo.

Ciò non ostante la cessione avveniva con atto del 19 maggio 1921 e per la somma voluta dal Vescovo di dollari 14.522,33.

Ma la Congregazione non vuole sopportare siffatta spogliazione e tanta lesione e, riuscito vano ogni tentativo, ricorre a codesto Tribunale perchè si provveda a tanto danno.

Invero l'arbitrato per l'apprezzamento delle miglorie e delle indennità dovute ai Religiosi è pienamente legittimo e valido, perchè:

a) Esso fu già preveduto ed ordinato nel contratto originario di cessione del terreno, e quindi ebbe luogo col pieno consenso delle parti.

b) Il Collegio arbitrale fu composto secondo le forme di legge e secondo quanto in conformità era stato disposto dalle parti contraenti, cioè eleggendosi un arbitro dal Vescovo, un altro dai Religiosi ed il terzo dai due così eletti.

c) Il Collegio arbitrale così costituito procedette alle indagini ed agli accertamenti del caso, stabilendo l'ammontare dovuto per indennizzare i Religiosi dei miglioramenti apportati al terreno.

Sono questi gli atti essenziali per la validità dell'arbitrato che si concluse col lodo emesso nelle mani del Notaio il 16 luglio 1920.

Nè contro tale validità potrebbe opporsi il rifiuto di uno degli arbitri di firmare il lodo, poichè, come nelle sentenze, il giudicato è dato a maggioranza e la maggioranza è sufficiente perchè si proceda.

Quindi il rifiuto di uno degli arbitri a firmare il lodo non invalida il lodo stesso, il quale conserva tuttora il suo valore agli effetti civili, e poichè l'istituto dell'arbitrato in diritto canonico è regolato secondo le norme civili, è evidente che quel lodo ha pieno valore anche in foro canonico.

La sentenza arbitrale del 16 luglio 1920 conserva tuttora tutta la sua efficacia che consiste nel diritto della Congregazione ad un'indennità di 40.000 dollari per i fabbricati ed i miglioramenti apportati sul terreno avuto dalla Corporazione Episcopale e ad essa ritornato. E poichè dalla detta somma la predetta Congregazione attrice ha avuto solo la somma di 14.522 dollari e 33 cm. è evidente che essa ha pieno diritto alla differenza.

In tale stato di cose la detta Congregazione attrice si rivolge a mezzo del sottoscritto avvocato a codesto Tribunale e chiede che venga citata la Corporazione Episcopale perchè sia condannata al pagamento della residuale somma in conseguenza della sentenza arbitrale del 16 luglio 1920.

E ciò con riserva di presentare prove e documenti e salva ogni migliore ragione, azione od eccezione.

N. N.

avvocato e procuratore.

CAPUT II.

DE PETITIONE ORALI

Can. 1707. — § 1. Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam coram tribunali proponere potest.

§ 2. Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio oretenus sibi facta.

§ 3. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.

1. In rebus maioris momenti non est opportunum ut petitio fiat oretenus, sed consilium praestare opus est, ut petitio fiat per libellum subscriptum a procuratore cum aliis praescriptionibus, ut in can. 1708, § 3. Petitio oralis a iudice accepta, coram notario in scriptis redacta, et ab actori probata, a iudice et notario subscripta sub poena nullitatis esse debet.

Exemplum petitionis oralis:

Coram me infrascripto Officiali Tribunalis Dioecesis N. comparuit N. N. fil. N. domo N. quae exposuit quae sequuntur, declarans se illiteratam (vel impeditam quominus libellum exhiberet).

Nata a il 23 dicembre 1880 da Andrea e Maria, all'età di otto anni rimasi orfana della mamma e fui allora educata da tre zie paterne che abitavano in Queste zie, con le quali convivevo, giunta all'età di 18 anni mi proposero di unirmi in matrimonio con Salvatore fu Nicolò di tuttora ivi dimorante, ed alle mie riluttanze per tale unione, mi minacciavano di mandarmi via di casa a far la serva.

Malgrado il mio diniego i parenti mi costrinsero ad accettare quale marito il suddetto Salvatore. — La sera del fidanzamento tentai

di allontanarmi di casa recandomi ad una vigna di proprietà delle zie con le quali convivevo, ed ove venne a cercarmi il sig. Salvatore attualmente dimorante costì, in via N., e che, se interrogato, potrà benissimo affermare il fatto.

Conoscenti e gran parte della cittadinanza sapevano che io subivo un'imposizione, celebrando il matrimonio con Salvatore fu Nicolò.

Nell'atto civile, di cui qui allego copia, per liberarmi in qualche modo, dichiarai di non saper scrivere, mentre, sebbene a stento, sapevo porre la mia firma.

Il giorno del matrimonio quasi mi ammalai, per lo spavento di esser divenuta moglie di un uomo, che io non volevo. Fatto questo che benissimo può testimoniare la Signora Giovanna Dani residente in Via N.

Nei primi giorni di matrimonio, i parenti miei stessi stettero in guardia, preoccupati perchè non succedesse qualche dramma.

Dopo sette mesi di matrimonio successe la tragedia di gelosia della notte del 12 luglio 1900, nella quale mio marito, mi colpì con ben quaranta pugnalate.

Essendo il matrimonio celebrato senza la necessaria libertà, domando che venga dichiarato invalido.

Actuarius qui verbum ad verbum depositionem scripsit, legit alta voce quae scripta sunt, ut si quae addenda, varianda vel corrigenda sunt, prout veritas exigit, oratrix explicet et dein subscribat.

Relectione peracta oratrix nihil censuit addendum et simul cum me infrascripto iudice et actuario subscripsit.

Datum die.....

Actuarius N.

N. N.

Officialis N. N.

CAPUT III.

DE SESSIONIBUS

Can. 1577. — § 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.

§ 2. Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere, et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.

1. In omnibus sessionibus, quidquid est obiectum discussionis, semper praeter iudices et Prom. iust. vel Def. vinc., notarius adsistere debet, qui in scriptis referat, quoad substantiam et etiam quoad verba, si hoc vult Officialis, quae in sessione tractata sunt.

Quod idem faciendum etiam in sessionibus Tribunalis non collegialis, nempe coram iudice tantum et notario. Omnia acta a praesentibus subscripta sint oportet.

Exemplum Sessionis I:

Anno Domini..... mense..... die..... hora..... in Urbe..... aedibus..... adsunt:

Officialis Primus.....

Iudex

Iudex

Promotor iustitiae (vel Vinculi defensor.....)

Actuarius.....

Primus iudex communicat:

1º Decretum Ordinarii, datum die..... quo committitur causa definienda inter N. et N. ex capite X.

2º Supplicem libellum actoris pro instituendo processu, qui ab actuario legitur, et petit an admittendus vel reiciendus sit.

Tunc omnes (si iam coram Episcopo non emiserint) ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando. Quibus peractis Iudex decernit ut exemplar libelli intimetur parti conventae, necnon ut idem libellus allegetur actis inquisitionis.

Idem iudex constituit diem etc. pro tribunalis proximo conventu, in quo actor examini subiciatur, mandans ut citetur, ac deputat cursorem, qui schedas citationis afferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio quae a praesentibus subscribitur.

Actuarius

Officialis

Iudex

Iudex

Prom. iust. (vel Def. vinc.)

2. In causis in quibus matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet iudex ut monitionibus opportunis partem, cuius consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; si ex

defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimenti, quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam (can. 1965).

Exemplum Sessionis II:

I. — Depositio D. Renati N.:

Anno Domini 1931 die vero 27 mensis aprilis, hora 10^a ante meridiem, in aedibus Curiae Episcopalis, in aula Tribunalis, coram D. N., Officiali Ponente in Causa, Rev. mis DD. N. N., Iudicibus adiunctis, D. N., Vinculi Defensore, meque infrascripto Actuaro, post Spiritus Sancti invocationem, comparuit actor in causa N. quoniam intimatio iam facta fuerat sub die 5^a martii c. a. et parti tradita, ut hora 10^a antemerid. ad Tribunal conveniret, quoniam ipse de facto venit, per apparitorem introductus est.

Tunc Defensor vinculi tradidit Iudici interrogatorium clausum et obsignatum, et Iudex, antequam quaestiones proponat et responsiones habeat, gravibus verbis monet actorem de sanctitate Sacramenti et iuramentum accipit ab eodem de veritate dicenda, tactis Ss. Evangeliiis, et de secreto servando usque ad publicationem sententiae, nec non hortatur actorem circa ea, quae a can. 1965 statuantur.

Postea iudex interrogat et actor respondit ut sequitur:

Generalia:

Interrogationes particulares:

L'Attore ha altro da aggiungere?

R. Non ho altro da aggiungere.

Iudex actorem monet ut attente audiat modo relegendas interrogationes factas, data ei facultate addendi, variandi seu corrigendi prout veritas exigit, ac dein subscribat.

Relectione facta, et iuramento praestito de veritate dictorum, actor nihil censuit addendum, et tandem sua manu subscripsit.

Firmato: Renato N. attore.

Firmatus: N., Officialis.

» N., Iudex adiunctus.

» N., Iudex adiunctus.

» N., Vinculi Defensor.

» N., Notarius.

CAPUT IV.

DE ADMISSIONE LIBELLI

Can. 1709. — § 1. Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet quantocius libellum aut admittere aut reicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

1. Oblato libello, iudex videre debet an actor sit suae iurisdictioni obnoxius, quod determinatur:

a) ratione domicilii (can. 92) vel quasi-domicilii (v. can. 1561).

b) ratione contractus, et hoc nomine venit omnis obligatio, quae sive ex contractu, vel ex quasi-contractu oritur. Et regula est: ut quocum aliquis contraxit, si eo loco de contractu conveniatur, ibi se defendere debeat. Quoad matrimonium vero iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo pars conventa vel, si una pars sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasidomicilium habet (can. 1964). Causae super rato et non consummato definiuntur a Congr. super disciplina Sacramentorum; quae referuntur ad privilegium Paulinum a S. Congr. S. Officii (can. 1962).

c) ratione rei sitae, et hoc valet, sive res sit mobilis, sive sit immobilis, etiamsi reus in loco rei sitae non reperiatur.

d) ratione delicti in loco in quo delictum patratum est.

2. Iudex insuper videre debet an ex facti narratione pendeat quod petitur; vel sit iniusta vel non sit proportionata causa, qua petitur.

Non habent autem facultatem standi in iudicio excommunicati vitandi aut tolerati per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam: ipsis permittitur tantum ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis (can. 1654).

Etiam absque speciali decreto libellum admittere potest formula «admittatur» vel «procedi potest».

CAPUT V.

DE REIECTIONE LIBELLI

Can. 1709. — § 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal: a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

Exemplum reiectionis libelli:

Anno Domini 1930, die vigesimaquarta novembris, hora decima, in Aula Audientiarum Tribunalis adsunt Ill.mi ac Rev.mi N. N. Officialis Curiae, Praeses, N. N. et N. N. Iudices Prosynodales in dioecesana Curia, N. N. Vinculi Defensor ex Officio et infrascriptus Actuarius.

Rev.mi Iudices, visis litteris delegationis Exc.mi Ordinarii et supplici Actoris libello, munus sibi commissum libenter acceptarunt, sese Iudices competentes declarando, cum discernere non putarent utrum libellum, utpote fundamento aliquo iuridico innixum, admittere possent vel reiicere deberent, ipsis documentis necessariis deficientibus (utpote epistola mulieris conventae de qua in libello), ad quaestionem praedictam responderunt: Dilata, donec afferantur documenta de quibus supra.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio quae subscribitur a Iudicibus, necnon a Vinculi Defensore et a me infrascripto Actuario.

N., Officialis.
N., Iudex Prosyn.
N., Iudex Prosyn.
N., Def. Vinc.
N., Actuarius.

CAPUT VI.

DE ACTU PROCURAE

Can. 1708. — Libellus quo lis introducitur debet:

3º Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

1. Pro recta agendi ratione processus, valde utilis est advocatus, seu procurator, sive ex parte actoris, sive ex parte conventi, et iudex quod sic fiat optet. Advocatus, seu procurator, supplici libello actum huius procurae uniat.

Exemplum procurae:

Subscriptus N. N. fil. N. praesenti documento nominat suum advocatum, seu procuratorem N. N. in civitate N. degentem cum facultate faciendi et emittendi, suo nomine, omnes actus utiles et necessarios in processu (obiectum processus, e. g. nullitatis matrimonii, refactione damnorum etc.) promoti ante tribunal dioecesanum N. primae instantiae (vel etiam secundae instantiae, vel apud S. Rom. Rotam).

Datum.....

N. N. fil. N.

CAPUT VII.

DE GRATUITO PATROCINIO

Can. 1915. — § 1. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

CAPUT V.

DE REIECTIONE LIBELLI

Can. 1709. — § 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal: a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

Exemplum reiectionis libelli:

Anno Domini 1930, die vigesimaquarta novembris, hora decima, in Aula Audientiarum Tribunalis adsunt Ill.mi ac Rev.mi N. N. Officialis Curiae, Praeses, N. N. et N. N. Iudices Prosynodales in dioecesana Curia, N. N. Vinculi Defensor ex Officio et infrascriptus Actuarius.

Rev.mi Iudices, visis litteris delegationis Exc.mi Ordinarii et supplici Actoris libello, munus sibi commissum libenter acceptarunt, sese Iudices competentes declarando, cum discernere non putarent utrum libellum, utpote fundamento aliquo iuridico innixum, admittere possent vel reiicere deberent, ipsis documentis necessariis deficientibus (utpote epistola mulieris conventae de qua in libello), ad quaestionem praedictam responderunt: Dilata, donec afferantur documenta de quibus supra.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio quae subscribitur a Iudicibus, necnon a Vinculi Defensore et a me infrascripto Actuario.

N., Officialis.
N., Iudex Prosyn.
N., Iudex Prosyn.
N., Def. Vinc.
N., Actuarius.

CAPUT VI.

DE ACTU PROCURAE

Can. 1708. — Libellus quo lis introducitur debet:

3º Subscribi ab actore vel eius procuratore, apposis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

1. Pro recta agendi ratione processus, valde utilis est advocatus, seu procurator, sive ex parte actoris, sive ex parte conventi, et iudex quod sic fiat optet. Advocatus, seu procurator, supplici libello actum huius procurae uniat.

Exemplum procurae:

Subscriptus N. N. fil. N. praesenti documento nominat suum advocatum, seu procuratorem N. N. in civitate N. degentem cum facultate faciendi et emittendi, suo nomine, omnes actus utiles et necessarios in processu (obiectum processus, e. g. nullitatis matrimonii, refactione damnorum etc.) promoti ante tribunal dioecesanum N. primae instantiae (vel etiam secundae instantiae, vel apud S. Rom. Rotam).

Datum.....

N. N. fil. N.

CAPUT VII.

DE GRATUITO PATROCINIO

Can. 1915. — § 1. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

§ 2. Iudex postulationem nec admittat nec reiiciat, nisi requisitis, si opus sit, notitiis etiam secretis quibus statum rei familiaris ipsius postulantis compertum habere possit auditoque promotore iustitiae; imo concessam potest etiam revocare, si in decursu processus assertam paupertatem non adesse compertum habuerit.

1. Clarissimus Sebastianelli (*Praelectiones iuris can.*, de iudiciis eccl., n. 28) haec notat: iudex potest advocatos designare vel ad petitionem contenditum, vel ex officio quando agitur e. gr. de pupillis, furiosis, viduis, vel aliis debilibus personis, quae ob potentiam, favorem vel metum adversarii patronos habere non possunt. Idem dicendum quando agitur de miserabilibus personis: quae tamen in re adnotandum est in Italia iamdiu extitisse ac floruisse advocatorum collegia ad pauperes gratuito defendendos et Romae est Congregatio advocatorum a S. Ivone nuncupata, cuius finis praecipuus est pauperum gratuita defensio.

Exemplar petitionis gratuiti patrocinii:

Subscriptus N. N. fil. N. domo N. dioecesis N. supplicem libellum obtulit Esmo Episcopo ad obtinendam declarationem nullitatis sui matrimonii (vel recognitionem sui crediti, vel sui iuris funerandi etc.). Cum non sit solvendo expensas pro processu coram Tribunali ecclesiastico, humiliter poscit ut gratuitum patrocinium concedatur, depositis tamen libellis N. pro expensis cancellariae.

*Addict.
N. N.*

Decretum Officialis:

Visa petitione N. N. mittatur ad Prom. Iustitiae (vel Vinculi Defensorem) pro voto.

Die.....

N. Officialis.

Attenta oratoris eiusque parentum conditione, gratuitum patrocinium concedi posse censeo, soluta tamen summa lib. (centum) pro expensis a Tribunali faciendis. Nihil obstat, visis actis, quominus ad ulteriora procedatur.

Die.....

Prom. iustitiae N. N.

Soluta ab oratore summa lib. (centum) pro expensis causae, eiusdem petitioni satis fieri posse reor.

Def. vinculi N. N.

Decretum Officialis:

Pro gratia gratuitum patrocinium oratori concedatur, qui curet deponere in arca Curiae Episc. summam lib. (centum), et gratuitum patrocinium praestabit advocatus N. N.

Officialis N. N.

CAPUT VIII.

DE CITATIONE

Can. 1711. — § 1. Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis.

§ 2. Quod si partes litigantes sponte coram iudice seistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse.

Can. 1712. — § 1. Citatio fit a iudice, et libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.

§ 2. Denuntiatur autem reo, et, si sint plures, singulis.

§ 3. Debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat.

Can. 1715. — § 1. Citatio denuntiatur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, idest a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.

§ 2. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.

Can. 1716. — Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur reo convento, altera asservetur in actis.

1. Citatio est *necessaria* ad valorem iudicii et fieri debet ad instantiam partis vel per se vel per suum procuratorem, quando habetur utilitas et ius privatorum; tamen necesse est ut citatio fiat mandato iudicis.

2. In citatione praeter nomen iudicis indicandum est nomen et cognomen rei vel testis citandi ita clare et distincte ut cum alio non confundatur. Quod si citanda sit aliqua communitas, collegium aut corpus morale, sufficit citare illius caput aut syndicum. Exprimendum pariter nomen actoris, causa citationis, cum determinatione loci, diei non feriat (can. 1635-1639) quo reus comparere debet coram iudice.

Exemplum decreti:

Tribunal ecclesiasticum Dioecesis N., lite contestata, cum procedatur oporteat ad testes examinandos, sive ab actore sive a convento seu reo inductos, praesenti decreto citari iubet N. N. fil. N. degentem..... necnon N. N. et N. N. ad comparendum in Sede Tribunalis die..... anno..... mense..... hora 10^a ut deponant uti testes in causa nullitatis matrimonii (vel nullitatis testamenti etc.).

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

Formula citationis:

De mandato Rev.mi Iudicis in processu inter N. et N., personaliter compareat N. conventus, vel testis, habitans in via..... n..... anno..... mense..... die..... hora..... ut iuratum examen subeat.

Datum..... ex aedibus..... die.....

loc. † sigilli

N. Officialis (vel Iudex)

N. Actuarius

CAPUT IX.

DE TRADITIONE ET RELATIONE CITATIONIS

Can. 1721, § 1. — Cursor, cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora qua reo tradita est.

§ 2. Idem peragat si eam relinquat in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit.

§ 3. Si citatio fiat per edictum, cursor in edicti calce signet qua die et hora edictum affixum ad fores Curiae fuerit et quamdiu affixus manserit.

§ 4. Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addita die et hora recusationis, iudici remittat.

1. Citatio debet per Curiae cursorem tradi reo vel eius procuratori aut bonorum administratori, vel, his deficientibus, etiam domesticis, qui eam recipere parati sint. Quod de reo dicitur, etiam quoad testes dicendum est. Si reus vel testis moretur extra territorium dioecesis, potest cursor mitti ad illum, quia executio citationis non est actus iurisdictionis. Mitti etiam potest per publicos tabellarios dummodo commendata, et cum sygrapha receptionis (can. 1719).

Exemplum citationis traditae:

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Rev.mi Tribunalis ecclesiastici N. hodie intimasse, et reliquisse authenticum exemplar citationis dom. N. N. in ipsius domicilio, via..... num..... tradendo praefatum exemplar in manus eiusdem dom. N. (vel personae de eius familia aut famulatu) et ad normam can. 1721 ss.

In fidem etc. Die..... mense..... anno.....

N. Cursor deputatus.

CAPUT X.

DE CITATIONE CONTUMACIS

Can. 1714. — Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can. 1845, 2.

Can. 1718. — Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habeatur.

Can. 1845, § 1. — Sed potest quoque iudex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas.

§ 2. Quod si facere velit, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec iam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse.

Can. 1844, § 1. — Ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, si iudicio intersint, iudex rei contumaciam declarare potest, eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem.

§ 2. Si procedatur ad sententiam definitivam, lite non contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello; si lite contestata, ipsum contestationis obiectum.

1. Contra contumaces seu renuentes obedire legitimis praeceptis iudicis, comminari possunt poenae ecclesiasticae, severiores contra actorem quam contra reum contumacem, sed, antequam procedat, debet iudex esse certus de contumacia, et hoc facere debet ad instantiam ac petitionem partis, vel Promot. iustitiae vel Defensoris vinculi. Contumacia declarari potest absque comminatione poenarum.

2. Elapso citationis termino, quodcumque sit eius obiectum, si citatus, qui non repraesentatur a procuratore vel avvocato, non compareat, neque iustam adducat suae absentiae causam, pars adversa potest illius contumaciam accusare, dummodo locum habuerit secunda citatio, addita comminatione quod si citatus non

compareat, iudicium continuabitur, declarata contumacia, aut intimato praefixo tempore a iudice.

Exemplar:

Subscriptus instat ut citetur pro secunda vice N. N. degens.... ad comparendum sive per se sive per procuratorem die et hora determinandis ad concordandum de dubio disputando, cum declaratione quod si pars non compareat contra ipsam fiet decretum de contumacia, et iudicium in eius contumacia continuabitur.

N. N.

Formula accusationis contumaciae:

Die..... mense..... anno..... comparuit N. N. et expectata hora praefixa diei..... mensis..... anni..... et dimidia parte horae immediate sequentis signata, attenta duplici citatione vel intimatione, accusavit contumaciam partis N. N. et protestata est, petens ut, non obstante dicta contumacia, procedatur ad ulteriora; quare praesenti decreto pars contumax declaratur, et statuitur et mandatur ut procedatur ad ulteriora et notificetur (vel etiam pars contumax declaratur concessis octo diebus ad resistendum huic decreto et se a contumacia purgandum; et notificetur).

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XI.

DE DECRETO CONTUMACIAE

Can. 1849. — Si die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adsit, nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum; et si actor novae citationi non paruerit vel postea iudicium inchoare vel inchoatum prosequi neglexerit, instante reo convento vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, contumax a iudice declaretur, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia.

1. Contra actorem contumacem citatum et non comparentem intra terminum a iudice definitum procedi potest pluribus modis.

3 — BENEDETTI, Ordo Iudicialis, etc.

Primo loco iudex valet ad rei instantiam effectum citationis rescindere, et actorem compellere ad solvendas expensas reo. Secundo, lite contestata, potest iudex absolvere reum ad ipsius instantiam. Elapso termino in citatione praefinito, actor vicissim accusare debet contumaciam rei et postulare ut processu contumaciali negotium absolvatur.

Exemplar decreti et notificationis contumaciae:

Cum N. N. degens..... actor (vel conventus) in causa citata ad comparandum die..... mensis..... anni..... hora decima antemerid. in aedibus Tribunalis Curiae Episcopalis pro litis contestatione, minime comparuerit et nullam excusationem attulerit, Tribunal, audito Prom. Iustitiae (vel Vinculi Defensore), eum contumacem declarat et uti talem retineri decernit. Decernit insuper Tribunal ut parti contumaci id notum statim fiat ex officio, ut, si velit, exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere, et a contumacia se purgare inter spatium octo dierum, quo inutiliter elapso, ius perimitur.

Datum die etc.

Actuarius
N.

Officialis
N.

CAPUT XII.

DE CITATIONE PER EDICTUM

Can. 1720. — § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi per edictum.

§ 2. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet.

Exemplum citationis per edictum:

*Edictum
Bononien.*

Nullitatis matrimonii (N. N. — N. N.)

Cum ignoretur locus actualis commorationis N. N. in causa conventi, eundem citamus ad comparandum sive per se, sive per procura-

torem legitime constitutum in sede tribunalis in Curia Dioecessana die..... mense..... anno..... hora 10^a ad concordandum de dubio disputando vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam qua habebitur Sessio pro causae definitione:

(e. gr. - 1^o An constat de nullitate matrimonii in casu ex capite vis et metus).

Quod nisi compareat die et hora designatis, neque absentiae vel suae rationis agendi excusationem attulerit, contumax habebitur.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles notitiam habentes de loco commorationis praedicti N. N. curare debent ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

Ex cancellaria Tribunalis die.....

loc. † sigilli

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XIII.

DE LITIS CONTESTATIONE

Can. 1726. — Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice.

Can. 1727. — Ad litis contestationem nulla necessaria est sollemnitas, sed sufficit ut, partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet qua de re agatur seu quanam sint controversiae termini.

Can. 1729. — § 1. Si die dubiis concordandis praestituta, pars in ius vocata non compareat nec iustam absentiae excusationem alleget, contumax declaretur, et dubiorum formula statuatur ex officio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod iudici congruum videatur.

§ 2. Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil

excipiendum putaverit, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.

1. Oblato libello iudici, ab eo acceptato et citatione peracta, fit contestatio litis. Si reus, visa actoris petitione, coram iudice eam admittat, iudicium non constituitur: si vero putet non esse annuendum libello actoris et eius conclusioni resistendum, tunc sequitur litis contestatio, quae est de substantialibus iudicii, ita ut, ea deficiente, totus processus irritus sit et neque ex partium consensu, neque ex auctoritate iudicis remitti potest, nam determinat statum quaestionis et naturam iudicii.

2. Litis contestatio vocatur etiam concordantia dubiorum, qua definita, actori nec licet libellum mutare, nec recedere ab instantia.

Exemplum concordantiae dubiorum:

Anno... mense... die... hora 10^a, praesentibus in aula tribunalis Curiae dioecesanæ N., N. N. Officiali et praeside, N. iudice synodali et N. iudice pro-synodali, N. prom. iustitiae (vel vinculi defensore), necnon infrascripto notario, comparuit N. actor in causa (vel eius procurator et advocatus legitime deputatus, vel necnon conventus qui concordans sunt in formula dubiorum) et nihil Tribunali excipiendum putavit, statutum est etc.

Absente convento legitime citato, ut constat ex relatione cursoris, et ex decreto comminationis contumaciae, qui nec comparuit nec suam absentiam iustificavit, statutum est quaestionem solvendam hoc concordato dubio:

An testamentum Rv. N. validum censendum? (vel an constet de nullitate matrimonii ex capite vis et metus, etc.).

Datum etc.

Notarius

Officialis

Iudex

Iudex

Prom. Iust. (vel Vinc. Def.)

Ante sessionem pro concordantia dubiorum tribunal, seu Officialis, hoc decretum emittet:

Cum tribunal iam acceptaverit libellum actoris N. et procedatur oporteat ad litis contestationem seu dubium concordandum tenore prae-

sentis citari decrevit, ut de facto citat actorem N. degentem..... et conventum N. degentem..... ut per se vel legitimum procuratorem compareant in Sede tribunalis die..... mense..... anno..... et hora..... ad dubium concordandum. Huiusmodi decretum intimetur partibus, nec non Prom. iust. (vel Vinc. def.) et exemplar allegetur actis processus.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XIV.

DE DISSENTIONE IN DUBIORUM CONCORDATIONE

Can. 1729. — § 2. Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.

§ 3. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.

Exemplar decreti in dissentione in dubiorum concordatione:

Anno..... mense..... die..... hora 10^a in Sede Tribunalis praesente Officiali N. etc.

Praesentibus etiam actore et convento per suos procuratores legitime deputatos, cum partes dissentiant in dubio concordando (vel cum conclusiones a partibus deductae infrascriptis probari nequeant), praesenti decreto statuitur quaestionem solvendam esse hoc dubio:

An etc.

et non aliter.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XV.

DE INSTANTIA LITIS

Can. 1732. — Instantiae initium fit litis contestatione; finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur, sed et antea non solum interrumpi, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione.

1. Peracta contestatione seu dubiorum concordantia incipit instantia litis, seu initium habetur vere et proprie processus.

2. Instantia potest interrumpi per mortem actoris vel conventi, vel finiri potest peremptione sive renuntiatione. Renuntiatio in quolibet statu et gradu iudicii potest ab actore fieri, sed in scriptis, alioquin nulla est. Quoad interruptionem et peremptionem necesse est videre quod sit obiectum processus ut in can. 1733 et seq.

Exemplum decreti interruptionis:

Anno..... mense..... die.....

Praesentibus Officiali et Prom. iust. (vel Def. vinc.) et infrascripto notario, oblata est instantia actoris in causa N. N., qua rationibus iustis sibi visis renuntiat actioni contra conventum N. N., propterea praesenti decreto declaramus iudicium terminatum et renuntiatione finitum et alteri parti notificandum.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XVI.

DE POSITIONIBUS SEU INTERROGATIONIBUS

Can. 1745. — § 1. Tum actor tum reus invicem, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, seu quaesita, super quibus pars interrogetur, quaeque vulgo *positiones* dicuntur.

§ 2. In positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportionem serventur quae in can. 1773-1781 statutae sunt.

1. Advertendum quod examen testium vel partium fieri potest vel a iudice, vel delegato, aut auditore, et interrogationes vel a partibus praesentari possunt vel a promotore iustitiae, sed in causis matrimonialibus a defensore vinculi, qui interrogatorium praesentat Officiali clausum et obsignatum; tamen interrogatio fieri semper debet a iudice vel delegato directe testibus.

2. Positiones intra praestitutum tempus praesentandae sunt, alioquin postulatio deserta censetur.

Defensor vinculi exhibeat interrogatoria proponenda clausa et obsignata, foris autem haec scribat:

N. N. in causa nullitatis matrimonii inter N. et N., Defensor vinculi legitime deputatus exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata et nonnisi in actu examinis a Iudice aperienda, atque instat ut super iisdem examinentur testes servata forma a iure statuta, alioquin protestatur etc. Haec cum facultate addendi, delendi et corrigendi.

N. Def. vinculi.

3. Semper fas est defensori vinculi alias interrogationes proponere praeter eas, quas praesentat clausas et obsignatas iudici.

Exemplum positionis seu interrogatorii:

Quaestiones testibus proponendae.

I. — *Generales Iudicis:*

Q. 1. — *Nomen, cognomen, quando et ubi natus, parentes.*

Q. 2. — *Religio, status, conditio, domicilium (paroecia).*

Q. 3. — *An partibus consanguineus? affinis? notus, quomodo, ex quo tempore?*

Q. 4. — *An novisti, de qua re agatur? An tua ipsius causa refert?*

Q. 5. — *An a quopiam edoctus es, quomodo quidve deponas? An testimonii gratia quid accepisti? vel habes quid sperandum? vel metuendum?*

Q. 6. — *Potes praestare iuramentum de veritate dicenda?*

II. — *Speciales Defensoris s. v. m.*:

Q. 1. — *Uter primum conditionem uxorem alteri detulit? Utrum actor vel conventa?*

Q. 2. — *Uter postea consilium suum mutavit? et qua de causa?*

Q. 3. — *Qua de causa nihilominus altera pars in voluntate sua perseveravit?*

Q. 4. — *Quae adhibuit media, ut quamvis nolente altera parte, tamen nuptiae celebrarentur?*

Q. 5. — *Quomodo sponsus et sponsa in ipsa matrimonii celebratione sese prae buerunt, ita ut quis cognoscere potuisset matrimonium contrahi aut libere aut ex coactione?*

Q. 6. — *Quomodo sponsi per totam diem nuptialem se gesserunt?*

Q. 7. — *Quomodo primis a matrimonio inito mensibus?*

Q. 8. — *Qua de causa res venit ad separationem a toro et mensa coram iudice civili?*

Q. 9. — *An actor et uxor sua, concessa a iudice civili separatione a toro ac mensa, amplius inter se usum familiariorum habebant?*

Q. 10. — *An aut actor aut coniux sua ad alias nuptias transire intendit?*

III. — *Quaestiones a Iudice relatore additae:*

Q. 1. — *An habes virum actorem religiosum ac veracem?*

Q. 2. — *An habes uxorem conventam religiosam, veracem, obliuiosam?*

Q. 3. — *Novistine, cur coniux appetiverit nullitatis matrimonii declarationem?*

Q. 4. — *An eadem ad alias nuptias transire intendit? An iam certum quendam virum cogitat?*

Q. 5. — *An coniugum reconciliationem fieri posse putas? Si negative: Cur non?*

Q. 6. — *An petis expensarum compensationem?*

Q. 7. — *An quid amplius habes dicendum?*

Iterum praestas iuramentum?

Defensor vinculi N. N.

CAPUT XVII.

DE IUREIURANDO PARTIUM

Can. 1744. — *Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre; in contentiosis, quoties bonum publicum in causa est, debet illud a partibus exigere; in aliis, potest pro sua prudentia.*

Can. 1746. — *Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 1770, § 2, nn. 1, 2.*

1. Qui iurare debent, et recusant, si sit actor ab instituta cadit actione, si reus habetur pro confesso. Praedictae autem poenae non incurruntur nisi per sententiam iudicis. Ex quo sequitur (Sebastianelli, *De iud.*, n. 112) quod si reus vel actor, qui prius iurare recusavit, postea se offerat ad iurandum, potest moram purgare atque ita poenam vitare. Hinc si ante sententiam actor vel reus, qui recusavit iurare, e vivis discedat, haeredes eorum prosequi causam possunt, dummodo iuramentum praestent.

Iudex hoc decreto poenam infligit:

Nos Officialis et iudices existimantes ad bonum publicum et rectam administrationem iustitiae necessarium fuisse ut a partibus in causa..... praestaretur iuramentum de veritate dicta et dicenda; cum autem partes seu actor (vel conventus) citati ad iuramentum praestandum non comparuerint (vel protestati sint se nolle iuramentum praestare), praesenti decreto et sententia decernimus actorem ab instituta actione cadere (vel conventum pro reo confesso se habere). Tamen nostra benignitate concedimus spatium decem dierum ad moram vel recusationem purgandam, sed post hos dies inutiliter elapsos volumus actorem (vel reum) etiam poena X esse multandum, et notificetur per Nostrum actuarium ad normam iuris.

Datum etc.

Actuarius

N.

N. Officialis

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XVIII.

DE DEPOSITIONE MENDACI

Can. 1743. — § 1. Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commissio.

§ 2. Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.

§ 3. Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum, remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur.

1. In causis criminalibus iuxta effatum: nemo tenetur tradere semetipsum, potest accusatus vel non respondere, vel non fateri veritatem: veritas enim non a reo sed ab accusatore et testibus agnoscenda est.

2. In aliis vero causis partes tenentur stricte ad veritatem dicendam. Si autem iudex pro sua prudentia putavit iuramentum praestandum a partibus, tunc partes ut periurae puniendae sunt si veritatem non fatentur. In causis criminalibus accusatus non debet praestare iuramentum, sed in causis contentiosis, in quibus bonum publicum in causa est, et in causis matrimonialibus, iudex partibus iuramentum de veritate dicenda deferre debet.

3. Si pars responsionem mendacem protulerit, iudex suo decreto eam puniat, si autem fuit mendax et periura, tunc si laicus plectatur interdicto personali, si clericus suspensione.

Iudex hoc decreto mendacem poena multat:

Cum actor (vel conventus) in causa, legali citatione invitatus sit ad deponendum et ante depositionem iuramentum de veritate dicenda

praestiterit; cum autem ex actis, documentis et testium depositionibus, ipsum in depositione iurata mendacem certis argumentis cognovimus, praesenti decreto poenis canonicis multandum esse decernimus iuxta can. 1743, § 3, et per nostrum actuarium notificetur.

Datum etc.

Notarius actuarium N.

N. Officialis

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XIX.

DE INTERROGATIONE PARTIUM

Can. 1742. — § 1. Iudex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare.

§ 2. In aliis casibus potest unum ex contendentes interrogare non solum ad instantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta.

§ 3. Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa; post conclusionem in causa servetur praescriptum can. 1861.

1. Iudex per citationem actorem et reum vocare debet ut interroget ad eruendam veritatem. Hoc facere potest sive ad instantiam partis, sive etiam ex officio, et non una vice tantum sed quando iudex ipse voluerit. Immo, etiamsi partes habeant procuratores et advocatos, tamen in iudicio tenentur ipsae adesse ad praescriptum iuris et iudicis.

Iudex vocat actorem per hanc citationem:

Infrascriptus Officialis Tribunalis dioecesis N. cum opus habeat ad rectam cognitionem factorum interrogandi N. actorem, natum et degentem N., quoad ea quae in supplici libello exposuit, Nobis exhibito die....., ad normam can. 1712, § 3, ordinamus, ut dictus actor

citetur ad depositionem faciendam apud nostrum Tribunal die... et hora 10^a.

Datum etc.

Notarius actuarius N.

N. Officialis

Tradita dicta citatione actori N. N. in suis manibus die etc. (vel per litteras commendatas, cum syngrapha receptionis - con ricevuta di ritorno).

N. Cursor

Citatio conventi:

Cum actor praesentaverit supplicem libellum Ordinario dioeceseano die etc. petens..... iuxta can.....

Cum de dicti libelli admissione et acceptatione tractatum sit in sessione..... iuxta can. 1709, § 1, n. 1 (vel in matrimonialibus etiam can. 1971, § 1, n. 1);

Nos infrascriptus Officialis, ponens in causa, audito Vinculi Def. (vel Prom. Iustitiae), cum necessarium putamus ad rectam iustitiae administrationem reum conventum iudicialiter audire, praesenti decreto disponimus citandum reum degentem in ad deponendum in hac aula Tribunalis die et hora etc.

Decernimus hanc citationem, nostra manu subscriptam, sigillo munitam, duplici exemplari confectam, tradendam esse reo convento ad normam iuris, et eius exemplar uniatur actis processus iuxta can. 1716.

Datum etc.

Notarius actuarius N.

N. Officialis

CAPUT XX.

DE TESTIBUS

Can. 1754. — Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus qui sequuntur.

Can. 1756. — Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

Can. 1759. — § 1. Testes a partibus inducuntur.

§ 2. Possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.

§ 3. Sed ipse iudex, quoties agatur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigat, potest testes ex officio inducere.

§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiiciatur.

1. Probatio per testes in iure canonico praevalet probationi factae per instrumentum, tamen videtur admitti posse testium depositionem contra aut ultra instrumentum publicum, salva querela facti.

2. Testis depositio dicitur *testimonium* seu attestatio, quae, si fiat sollemnitatibus iuris, dicitur iudicialis, secus extraiudicialis. Testes debent esse idonei, nempe debent scire quae asserunt et ita narrare fideliter quae sciunt.

3. Excluduntur absolute a testimonio ferendo *mente debiles* seu amentes, furiosi, ebrii, caeci per ea quae spectant ad res visas, surdi per ea quae spectant ad res auditas. Ita etiam *impuberes*, quia in eis deest maturitas iudicandi, et facile corrumpi possunt in veritate dicenda. Potest tamen iudex ex officio eos vocare ad testimonium ferendum, sed audiuntur generatim, sine emissionem iuramenti (can. 1758) ad indicium pro veritate, quod idem dicendum de aliis non idoneis vel suspectis.

4. Ut suspecti excluduntur *infames*, infamia iuris sive canonici sive civilis, vel facti; *excommunicati* et *personae viles*, quae facile corrumpi possunt pecunia, vel *viles moribus*, et publici et graves inimici.

5. Excluduntur ut incapaces quidam a testimonio favorabili, quidam a testimonio contrario ferendo, nempe propter communionem negotii, ne fiant testes in causa propria; et partem habentes in iudicio, ut iudices et advocati.

6. Propter affectionem non valent attestationes *parentum* pro liberis et vicissim et in genere *consanguineorum* et *affinium* in quolibet gradu lineae rectae, et primo gradu collateralis: exceptis tamen

causis matrimonialibus in quibus consanguinei et affines (c. 1974) habentur ut habiles; immo in causis impotentiae et *inconsummationis inducuntur ut testes septimae manus*. Etiam sacerdotes sunt incapaces, etsi soluti a vinculo sigilli confessionis, et absolute nequeunt interrogari si quovis modo sciant occasione confessionis.

7. Etiam ut non idonei habendi testes personae quibus ratione potestatis dominicae imperari potest, ut famuli in causa domini, vel qui in eadem domo cohabitant, ut coloni etc. Omnes cogi possunt ad testimonium ferendum, dummodo idonei sint, etiam si promiserint se non dicturos testimonium sub fide iuramenti.

8. Testes inducuntur a partibus vel Prom. iustitiae vel Def. vinculi, qui praesentant notulam testium citandorum sub hac formula:

In causa nullitatis matrimonii N. N. (vel poenarum, vel validitatis testamenti, etc.) subscriptus actor (vel conventus) petit ad deponendum sint citati ut testes:

1º Petrus Ponti fil. Iosephi, natus Romae, degens Florentiae, Via N. sub n.

2º

*Cum reservatione alios producendi ante conclusionem causae.
Datum die, mense, anno etc.*

N. N.

CAPUT XXI.

DE IUREIURANDO TESTIS

Can. 1767. — § 1. Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 1763.

§ 3. Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.

§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.

1. Ut videre est in cap. de *Testibus*, qui non sunt idonei ad testandum, ut pueri etc. emittere iuramentum non debent, quia eorum testimonium valet tantummodo ut indicium probationis. Sed omnes alii tenentur iuramentum emittere, excepta remissione ut in § 3, et si testis ad deponendum dispositus sit, nolit autem iuramentum praestare, tunc notarius in actis rem expresse notet.

2. Iudex potest exigere iuramentum a teste, sive ante depositionem de veritate dicenda, sive post de veritate dicta.

3. Iudex gravibus verbis commonefaciat testem de sanctitate iuramenti et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in Decreto admonentur, et, prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periuri noxii fiunt in foro Ecclesiae, nempe, de interdicto personali si periurus sit laicus, de suspensione a divinis si clericus (can. 1743, § 3). Has tamen poenas non infligit inconsulto Ordinario.

Deinde invitet testem ad invocandum Nomen divinum in testem veritatis, tactis SS. Evangelii sequenti formula:

Ego N. iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam, vel immutem. Sic me Deus adiuvet et haec SS. Dei Evangelia.

CAPUT XXII.

DE TESTIUM EXAMINE

Can. 1770. — § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur;

1º S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres, quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiores facere debent.

causis matrimonialibus in quibus consanguinei et affines (c. 1974) habentur ut habiles; immo in causis impotentiae et *inconsummationis inducuntur ut testes septimae manus*. Etiam sacerdotes sunt incapaces, etsi soluti a vinculo sigilli confessionis, et absolute nequeunt interrogari si quovis modo sciant occasione confessionis.

7. Etiam ut non idonei habendi testes personae quibus ratione potestatis dominicae imperari potest, ut famuli in causa domini, vel qui in eadem domo cohabitant, ut coloni etc. Omnes cogi possunt ad testimonium ferendum, dummodo idonei sint, etiam si promiserint se non dicturos testimonium sub fide iuramenti.

8. Testes inducuntur a partibus vel Prom. iustitiae vel Def. vinculi, qui praesentant notulam testium citandorum sub hac formula:

In causa nullitatis matrimonii N. N. (vel poenarum, vel validitatis testamenti, etc.) subscriptus actor (vel conventus) petit ad deponendum sint citati ut testes:

1º Petrus Ponti fil. Iosephi, natus Romae, degens Florentiae, Via N. sub n.

2º

*Cum reservatione alios producendi ante conclusionem causae.
Datum die, mense, anno etc.*

N. N.

CAPUT XXI.

DE IUREIURANDO TESTIS

Can. 1767. — § 1. Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 1763.

§ 3. Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.

§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.

1. Ut videre est in cap. de *Testibus*, qui non sunt idonei ad testandum, ut pueri etc. emittere iuramentum non debent, quia eorum testimonium valet tantummodo ut indicium probationis. Sed omnes alii tenentur iuramentum emittere, excepta remissione ut in § 3, et si testis ad deponendum dispositus sit, nolit autem iuramentum praestare, tunc notarius in actis rem expresse notet.

2. Iudex potest exigere iuramentum a teste, sive ante depositionem de veritate dicenda, sive post de veritate dicta.

3. Iudex gravibus verbis commonefaciat testem de sanctitate iuramenti et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in Decreto admonentur, et, prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periuri noxii fiunt in foro Ecclesiae, nempe, de interdicto personali si periurus sit laicus, de suspensione a divinis si clericus (can. 1743, § 3). Has tamen poenas non infligit inconsulto Ordinario.

Deinde invitet testem ad invocandum Nomen divinum in testem veritatis, tactis SS. Evangelii sequenti formula:

Ego N. iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam, vel immutem. Sic me Deus adiuvet et haec SS. Dei Evangelia.

CAPUT XXII.

DE TESTIUM EXAMINE

Can. 1770. — § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur;

1º S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres, quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiores facere debent.

Can. 1771. — Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit.

Can. 1772. — § 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

Can. 1773. — § 1. Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.

1. Etsi partes vetantur assistere testi deponenti, tamen prudenti arbitrio iudicis remittitur collatio, vulgo = il confronto =, quae tamen concedi nequit nisi concurrant quae in can. 1772, § 3 habentur.

2. Examini sub poena nullitatis assistere debet notarius, qui scribere responsiones, et cum iudice subscribere actum debet. In aliis causis potest assistere Promotor iustitiae, in causis vero matrimonialibus assistere debet vinculi Defensor, qui exhibere debet iudici interrogatoria clausa et obsignata in actu examinis a iudice aperienda et partibus et testibus proponenda (can. 1968, § 1).

3. Testes oretenus testimonium dicere debent, et responsiones statim ab actuario scribi debent sive quoad substantiam sive etiam quoad verba si iudex hoc exigit. Testes iuramentum de veritate dicenda emittere debent, et iuramentum de veritate dicta. Testes declarare etiam debent, antequam subscribant, an quae scripta sunt respondeant testimonio dato, et declarare se nihil habere quod addant, supprimant, corrigant et variant. Ipsi subscribunt cum iudice vel iudicibus et notario.

4. Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis, et generatim de omnibus memoria dignis, quae forte acciderint, cum testes exercebantur. Testem qui sponte compareat testimonii reddendi gratia, potest iudex pro sua prudentia admittere vel repellere (can. 1760).

5. Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si id iudex necessarium vel utile ducat (c. 1781).

6. Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi gravi ratione in causis quae numquam transeunt in rem iudicatam, ut in causis matrimonialibus, ex gravissima ratione in eactis (can. 1786).

Depositio N. N. testis.

Ad 1. N. N. fu Pietro e fu Paola Negri, nato a Roma il giorno 10 genn. 1900, ragioniere.

Ad 2. Abito a Roma fuori Porta Maggiore, Via N., n. 4 int. 7.

Ad 3. R. — Sissignore, conosco benissimo il Sig. Rinaldo.

Ad 4. R. — Lo conosco fin da quando eravamo bambini, essendo stati vicini di casa fino ai 16 o 17 anni.

Ad 5. R. — Si è sposato con Pasqua Bernardini.

Ad 6. R. — Si sposò con questa sei o sette anni fa; ma non lo so di preciso.

Ad 7. R. — La conoscevo fino da 3 o 4 anni prima del matrimonio, perchè venne ad abitare vicino alla nostra casa.

Ad 8. R. — Di preciso non so se il fidanzamento fu lungo.

Ad 9. R. — Si vede che non era molto contenta, perchè, mentre prima era sempre allegra, deciso il matrimonio, diventò seria, e non parlava con alcuno.

Interr. ex off.: Q. — Questo avvenne proprio per causa del dover contrarre matrimonio o per altra causa?

R. — Io non lo so, nè mai ho chiesto nulla. Io pensai che fosse per il dispiacere di lasciare la famiglia.

Ad 10. R. — Supprimatur.

Ad 11. R. — Sembrava di sì, a quanto diceva la gente, anche perchè Rinaldo era un buon giovane.

Ad 12. R. — Che abbiano fatto pressioni non lo so. So che la madre della Pasqua aveva piacere che sposasse Rinaldo.

Ad 13. R. — Non lo so se vi erano speciali ragioni perchè Pasqua sposasse Rinaldo.

Ad 14. R. — Io l'ho sempre vista svelta, allegra, lavoratrice indefessa.

Ad 15. R. — Non so che sia mai stata malata.

Ad 16. R. — Non credo abbia avuto prima altri fidanzamenti.

Ad 17. R. — Supprimatur.

Ad 18. R. — Non so altro che questo che, un giorno, io, insieme alla Pasqua e alla mamma andammo a comprare qualche oggetto per far dei regali ai cognati. Essa si mostrò silenziosa e, quando veniva richiesta se questo o quell'oggetto le piacesse, rispondeva con indifferenza e freddezza: «ma sì, ma sì».

Interr. ex off.: Q. — Questo contegno della Pasqua le parve una diminuzione del capire, oppure no?

R. — Rispondeva con poca voglia, ma rispondeva a tono e capiva bene quello che diceva, come aveva sempre fatto; tanto che io non

ebbi neppure la più piccola idea che si trattasse d'un difetto d'intelligenza.

Interr. ex off.: Q. — Quanto tempo prima del matrimonio avvenne questo?

R. — Avvenne il mercoledì precedente al matrimonio, che fu celebrato il sabato.

Ad 19. R. — Nulla so di scienza propria, perchè non c'ero. Seppi da altri che tutto quel giorno si mostrò disturbata e che non parlava.

Ad 20. R. — *Supprimitur.*

Ad 21. R. — Non lo so se la sposa fu ricevuta bene a casa.

Ad 22. R. — Non lo so se abbia fatte stravaganze perchè distanti di casa.

Ad 23. R. — Non lo so se il marito trattasse bene la sposa.

Ad 24. R. — So che il giovedì dopo il matrimonio venne in bicicletta a trovare la mamma e tornò subito alla casa maritale da sola, com'era venuta, e là non so quanto tempo sia rimasta.

Q. 25. — Perchè andò via la sposa dalla casa maritale?

R. — Non lo so. La gente diceva che, essendosi dimostrata disturbata il giorno del matrimonio, dipendesse dal fatto che il marito non le andava a genio.

Ad 26. R. — Sentii dire che presto, dopo il ritorno alla casa paterna, cominciò a non prendere a segno con la testa e che questo difetto s'accentuò in seguito. So che un giorno, girando su e giù pel nostro campo, saltò un'altra siepe; ma io non la vidi. Saputo che la Pasqua era tornata alla casa paterna, noi domandammo alla gente come mai fosse ciò avvenuto.

Iudex eum monet ut attente audiat modo perlegendas interrogationes factas, data ei facultate addendi, variandi seu corrigendi prout veritas exigit, ac dein subscribat.

Relectione facta, et iuramento praestito de veritate dictorum, testis nihil mutandum censuit et tandem sua manu subscripsit.

N. notarius

N. testis

N. officialis

N. iudex

N. iudex

N. def. vinculi

CAPUT XXIII.

DE REPROBATIONE TESTIS ET TESTIFICATIONUM

Can. 1764. — § 1. Testes debent ex officio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstratur, quae exclusio dicitur *reprobatio personae testis*.

§ 3. Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare.

§ 4. Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur, nisi a parte demonstratur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.

§ 5. Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.

Can. 1783. — Post testificationum evulgationem:

1° Cessat facultas reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can. 1764, § 4;

2° Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet obiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

1. Absoluto examine testium si partes examini praesentes non fuerint, citandae a iudice sunt ad videndum testimonium (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, p. 153), aut depositiones publicandae, quae publicatio a iudice differri potest in tempus quo caetera probationum capitula fuerint absoluta.

2. Facta publicatione, amplius exceptiones contra testes non admittuntur: non omnes tamen reiiciendae sunt, excipi enim potest contra personas testium, contra modum examinis, et contra testium depositiones. Exceptiones contra examen et contra dicta testium, ut clarum est, fieri possunt post factam publicationem, sed exceptiones et reprobationes relate ad personas proponendae sunt ante publicationem non postea, immo intra triduum postquam nomina cum parte communicata fuerunt, salva protestatione rei de reservatione exceptionis contra testes producendae.

Exemplum decreti publicationis testificationum et actorum:

Tribunal, excussione omnium testium peracta, cum aliqua ad causam pertinentia inventa non sint nec utilia ad veritatem acquirendam ad normam can. 1775, decernit expunctionem art. N. N. et evulgationem testificationum, et ordinat actuario ut partes de hac evulgatione edoceat, ut si quid habeant vel producendum vel reprobandum (can. 1773, § 2) hoc faciant ante diem etc. hora etc.

Datum.....

Actuarius N.

Officialis N.

Exemplum decreti circa reprobationem testium:

DECRETUM

Examinata petitione rei conventi, qui postulat ad normam can. 1757, § 2, 3 reprobationem testium N. N. N. N. abductorum a Promotore Iust. (vel Vine. Def.) et ab actore:

Considerantes famam bonam testium, qua gaudent, excludere applicationem can. 1757; et § 3 huius can. 1757 applicari non posse his testibus, quia absunt in actis argumenta comprobantia iustam causam reprobationis (can. 1764, § 2); Nos iuxta can. 1784 praesenti decreto repellimus petitionem reprobationis testium, ut supra.

Datum etc.

Notarius actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXIV.

DE FIDE TESTIUM ET TESTIMONIORUM

Can. 1789. — In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:

1^o Quae conditio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;

2^o Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis;

3^o Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius et incertus, vel vacillans;

4^o Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.

1. Iudex testimonium de testis credibilitate quaerere quomodo-
cumque potest, sed praesertim opera parochorum, qui inquirere
tenentur et, gravata eorum conscientia, quae sciunt tradere
debent.

Hac formula iudex petit a parcho testis testimonium de eius
credibilitate:

*Cum instruat in hoc tribunali dioecetano causa de necesse
est ut sedulo investigetur ut legitimum testimonium de testium, qui
inducuntur, credibilitate habeatur. Quapropter infrascriptus Iudex in-
structor mandat Rev. Parcho..... ut pro pastoralis sui officii sanctitate
et sollicitudine, ad rem accurate inquiret et distincte huic Tribunali
significet notas de religione et honestate domini N. N. testis inducti
(Via N. n. N.), an nempe praecepta Religionis adimpleat, an bonis
moribus sit imbutus, qua fama gaudeat, et an credi possit et debeat,
etiam cum deponat de rebus quae ipsius intersit.*

*Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de om-
nibus aliis, quae ad depositiones rite aestimandas necessaria et oppor-
tuna videantur.*

Quod si testis N. N. non fuerit Parcho cognitus, inqui-

sitionem ope prudentis personae, sibi bene visae et sub secreto, instituat.

Datum ex actibus tribunalis die etc.

Actuarius N.

Officialis N.

Actuarius huius decreti notificationem faciat singulis parochis inductorum testium.

CAPUT XXV.
DE ROGATORIIS

Can. 1770. — § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur: 2º Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt;

3º Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 1570, § 2, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas.

1. Hic canon loquitur de testibus sed ad hunc revocat c. 1746. In his casibus interrogatio facienda est per rogatoriam, seu deputandus est sacerdos et actuarius, si in ipsa dioecesi iudicis, vel Episcopus si in aliena dioecesi, qui per suum Officiale, et cum facultate alios delegandi examen perficiat, transmissis etiam interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.

2. Delegatio pro rogatoria in scriptis facienda. Acta rogatoriae, seu verbale sessionis et depositio testium mittenda tribunali deleganti, in authentico exemplari, et, rogante iudice delegante, etiam in suo originali.

In causis matrimonialibus semper praeter notarium adest vinculi defensor qui exhibere debet iudici interrogatoria clausa et obsignata (can. 1968).

Exemplum litterae rogatoriae pro excussione testium:

Constitutio Tribunalis.

In nomine Dei. Amen.

Anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo die vigesima-quarta mensis maii hora undecima absque quadrante, in Curia Episcopali N., in aula pro Tribunalis sessionibus, coram Revmo N. N. eiusdem Curiae Officiali, praesentibus Revmo Dno N. N., Iustitiae Promotore (vel Vinculi Defensore) ac me infrascripto notario actuario, ego notarius actuarius perlegi litteras Ordinarii N. N. die..... datas, et a Dno A. ponente subscriptas necnon a T. T. Tribunalis notario, quibus in Causa X nullitatis matrimonii R. M., Excmo Ordinario N. committitur munus excutiendi testem N. N. in hac Dioecesi commorantem; adnexae superioribus litteris adsunt quaestiones testi proponendas in plico obsignato.

Has litteras ab Excmo Episcopo N. acceptas, ut procedatur ad normam iuris, actis inserui.

Dein Revmus Iudex, annuente Vinculi Defensore, decrevit praedictum testem citari ut ad se iurato examini subiiciendus compareat in Sessione quam Iudex statuit habendam in hoc eodem loco, die....., hora decima, et mandavit insuper a testis paracho notitias de eius honestate etc. exquiri; monuit dein Defensorem Vinculi ut praefata Sessioni adsit.

De mandato ego notarius actuarius instrumentum hoc confeci et perlegi et a praesentibus subscribitur:

loc. † sigilli

N. Offic. Praeses
N. Vinc. Defensor
N. Not. Actuarius

Inserta:

Litterae Rogatoriae Tribunalis N.

Excmo Ordinario N. N.

Infrascriptus Officialis, et in causa de qua supra Ponens, E. T. Revmae munus committit excutiendi testem « N. N. degentem... » super quaestionibus in adnexo folio descriptis, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, subdelegandi non exclusa potestate, constituto in primis Vinculi Defensore, eidemque facta facultate alias ad-

dendi quaestiones, vel propositas emendandi, prout adiuncta suaserint.

Actis ad Cancellariam H. S. Tribunalis mittendis attestatio addatur de fide huic testi habenda.

Et quo par est obsequio E. T. Revmam prosequor

N. Notarius

addictissimus
N. Ponens

CAPUT XXVI.

DE DOCUMENTIS IUDICIALIBUS

Can. 1819. — Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, seu leges rite promulgatae.

Can. 1820. — Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.

1. Documenta seu instrumenta alia publica alia privata sunt. Ut sit publicum aliquod documentum requiritur ut confectum fuerit a notario, idest a persona quae a publica auctoritate constituta sit, et certis adhibitis sollemnitatibus. Huiusmodi instrumentum plenam facit probationem quoad partem dispositivam, tam pro contrahentibus, quam contra eos.

2. Documenta privata plenam faciunt probationem quando sunt authentica. Si non sint authentica, ut registra privatorum et epistolae, regulariter probant contra ipsum scribentem, si ab eodem recognita fuerint, non autem in favorem ipsius scribentis.

3. Instrumenta producenda sunt durante instructionis periodo, idest post litem contestatam usque ad conclusionem in causa. Non est autem necesse ut integra producantur sed illae particulae tantum quae vel actori ad suam intentionem, vel reo ad suam exceptionem probandam inserviunt. In causis matrimonialibus etiam fides de celebrato matrimonio per extensum producenda est.

CAPUT XXVII.

DE PRODUCTIONE DOCUMENTORUM

Can. 1824. — § 1. Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuatur, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit.

§ 2. Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.

§ 3. Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.

Documenta quae in iudicio vim probativam habent possunt esse sive publica, sive privata.

Sunt publica quae in can. 1813 describuntur, seu acta Summi Pontificis, Curiae romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum forma authentica exarata; instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta; acta iudicialia ecclesiastica; inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii et mortis quae habentur in regestis Curiae, vel parociae, vel religionis; item documenta civilia quae secundum uniuscuiusque loci leges ut publica iure censentur. Publicum instrumentum duplex est: protocollum vel transumptum.

Primum est summaria quaedam actus gesti adnotatio ex qua postea instrumentum in sollemnem formam redigitur unde etiam *abbreviatura* dicitur. Alterum est ipsummet instrumentum originale ex protocollo desumptum cum debitis sollemnitatibus confectum. Transcriptio transumpti dicitur copia.

Instrumentum ut publicum sit, requiritur, ut confectum fuerit a notario, et cum debitis sollemnitatibus, videlicet cum praemissione in proloquio invocationis divini nominis, nominis imperantis in societate, et anni suae dominationis, cum determinatione temporis et loci, et nominibus testium qui cum notario subscribere debent.

Sunt vero privata, litterae, contractus, testamenta, et scripta quaelibet a privatis confecta.

Documenta publica ut genuina praesumuntur, donec contrarium evincatur (can. 1814).

Documenta in forma authentica sunt exhibenda, et hinc opus est quod ut talia declarentur a cancellario episcopali vel a publico notario cum communi formula: *exemplar conforme originali esistenti apud Curiam vel archivum parociale N. etc., ab infrascripto cancellario (vel notario) recognitum et sigillo obsignatum.*

Potest iudex decernere ut exhibeatur documentum originale sive ad instantiam partis, sive ex officio, praesertim si dubium exoriatum circa veritatem vel fidelitatem documentorum.

Impugnatio vel recognitio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis; hinc quaestio agitata est, ut novus, separatus processus, sicut videre est quando sermo est de *causa incidental*.

Instrumentum publicum plenam facit probationem quoad partem dispositivam tam pro contrahentibus, quam contra eos, et probatio per publica instrumenta vocatur *probatio probata*; plena fides autem deneganda est iis, quae enunciatione seu narratione atque incidenter ponuntur in instrumento.

Plenam probationem quoque faciunt instrumenta privata authentica, immo etiam non authentica uti sunt e. g. cautiones parti a parte datae, rationes et registra privatorum, epistolae etc. quae regulariter probant contra ipsum scribentem, si ab eodem recognita fuerint, seu non legitime impugnata, non autem in favorem ipsius scribentis.

Instrumenta producenda sunt durante instructionis periodo i. e. post litem contestatam usque ad conclusionem in causa. Non est necesse ut integra producantur instrumenta sed particulae quae causae inserviunt.

Actor autem non potest cogere reum ad edendum instrumentum ab ipso reo non invocatum, quod tamen inserviret eidem actori ad probandam suam intensionem, exceptis instrumentis *communibus* sive actori sive reo, sed apud hunc retentis.

Iudex, quando pars recusat exhibere aliquod documentum, sententia interlocutoria vel decreto, an et quomodo documentum exhibitio facienda sit statuatur hac formula:

Ex factorum narratione deducitur magnum argumentum ad veritatem dignoscendam consistere in iis quae in litteris (vel instrumentis,

vel registis) parociae N. inveniuntur, quaeque ad rectam iustitiae administrationem necessarium, quod in causa apud tribunal exhibeantur, reputamus. Cum autem pars... recuset haec documenta exhibere, praesenti decreto in originali vel exemplari authentico infra decem dies exhibenda decernimus, apud nostrum actuarium deponenda: et ad normam iuris partibus notificetur.

Datum.....

Actuarius N.

Iudex N.

CAPUT XXVIII.

DE PERITIS ET PERITORUM MANDATO

Can. 1792. — Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 1793. — § 1. Iudicis est peritos eligere vel designare.

§ 2. Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

Can. 1799. — § 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.

1. Iudex, antequam periti officium demandatum suscipiant, iusiurandum de munere fideliter adimplendo recipere debet, et

decretum emittit definiendo quae a perito sint agenda per singula capita et non aliter.

2. In scriptis relatio a peritis fieri debet, vel si faciant oretenus coram iudice, per notarium in scriptis statim redigi debet et subscribi a peritis, iudice et notario.

Non sufficit quod periti proferant conclusionem affirmativam vel negativam quaestionibus propositis, sed necessarium est quod etiam qua via et ratione processerint ad conclusiones et argumenta, quibus conclusiones innituntur, exponant. Si periti inter se discrepent, iudex peritiorem eligere potest.

3. In causis matrimonialibus non possunt eligi in peritos qui privatim coniuges inspexerint circa factum vel inconsummationis vel declarationis nullitatis, etiam ob amentiam, et duo periti eligendi sunt qui seorsim singuli inspectionem exequi debent.

4. Peracta relatione, periti, vel obstetrices vel matrona assistens, seorsim singuli a iudice interrogantur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos, quibus ipsi, praestito iuramento, respondeant (can. 1890-91).

Iudex peritum ex officio ita designet:

Iudex instructor (vel Officialis), audito vinculi defensore, decrevit: procedatur ad legalem inspectionem N. N. et ad hoc eligimus, prout praesenti decreto eliguntur in peritos N. N. et N. N.

Idque eis notificetur et moneantur ut die... mense... hora... se assistant in aedibus... via... ad inspectionem faciendam iuxta C. I. C., quod actori (vel convento) et vinculi defensori significetur.

N. actarius

N. officialis

Peritus autem hac formula iuramentum praestet:

Ego N. deputatus in peritum ad inspectionem N. faciendam, iuro me commissum officium fideliter obituro eaque omnia exquisituro et deducturo quae ad veritatem cognoscendam necessaria sunt, et tam in scripta relatione quam in orali interrogatorio omnia exposituro iuxta veritatem, necnon secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

CAPUT XXIX.

DE ACCESSU IUDICIALI

Can. 1806. — Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

1. Accessus iudicialis est medium aptum instruendo processui et inservit iudici ad perpendendam vim ac valorem probationum. Iudex hunc accessum potest peragere per se, vel per suum delegatum, potest partes monere, testes adhibere etc. vel etiam ab istis omnibus se abstinere. Unde res omnino iudicio ac discretioni iudicis relinquatur.

2. Notarius tamen debet diligenter curare ut ex actis constet qua die, hora, recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae dicta sint, vel peracta vel a iudice decreta in ipso actu recognitionis. Instrumentum tum iudex, tum notarius subscribant.

Exemplum decreti super accessum iudicalem:

Cum ad clarius detegendam veritatem in causa de qua agitur, necessarium videatur ad controversiae locum accedere atque rem ipsam controversam inspicere, praesenti decreto disponimus ut die..... et hora..... vel personaliter vel per auditorem N. tanquam a me infra-scripto Officiali delegatum, comitante notario (et testibus et partibus) ad locum controversum inspicendum procedatur, ut perpendatur vis et veritas depositionis testis N., in actis.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XXX.

DE TESTIMONIORUM EVULGATIONE

Can. 1782. — § 1. Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia statim post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, evulgari.

§ 2. Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet.

Can. 1983. — § 1. Publicato processu (in causis matrimonialibus), fas adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786, super diversis articulis inducere.

§ 2. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 1781, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.

1. Quia causae matrimoniales numquam transeunt in rem iudicatam, novus testis potest induci ex fraude et subornatione, et hinc inductio fieri debet audita altera parte, remoto periculo fraudis, et requisito voto defensoris vinculi, et hoc iudex suo decreto definiat (can. 1786).

Testes vero qui iam auditi sint, et iterum, postulante parte, vel ex officio audiendi, poterunt ad examen vocari, si hoc necessarium vel utile iudex ducat, sed antequam acta seu testificationes publici iuris fiant et secluso periculo collusionis vel corruptelae (can. 1781).

2. Iudex potest admittere partes vel eorum procuratores ad assistendum depositionibus testium. Si adfuerunt necesse non est quod iudex decretum emittat de testimoniorum evulgatione. Si vero vel non semper, vel nunquam adfuerunt, tunc statim, absoluto examine, iudex decretum ferat.

Exemplum decreti:

Tribunal, excussione omnium testium peracta, cum neque partes neque eorum procuratores examini interfuerint, decernit praesenti

decreto evulgationem testimoniorum et ordinat actuario ut partes de hac evulgatione edoceat, ut si quid adhuc habeant producendum hoc faciant ante diem etc. hora etc.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXI.

DE INTERVENTU TERTII

Can. 1852. — § 1. Is cuius interest, admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

1. Is cuius interest debet tempore opportuno praesentare iudici libellum in quo exponat rationes pro suo iure interveniendi in causa.

2. Iudex vel tribunal collegiale, post examinatum libellum, decretum emittit de admissione vel non huius tertii in causa. Si decretum est pro admissione, in ipso determinandum est tempus peremptorium ad probationes exhibendas; expleto tempore, perimitur omne ius interveniendi, salvo praescripto can. 1853 in quo statuitur quod iudex potest etiam ex officio interventum tertii iubere.

Exemplum decreti admissionis interventi tertii:

In causa de qua agitur, nondum conclusione in causa statuta, Nobis exhibitus est libellus a N. N. qui Nos edocet de iure interveniendi, quia..... Perlectis rationibus quibus libellus innititur, ipsum N. uti tertium ad interveniendum in causa, praesenti decreto admittimus in eo

statu in quo causa reperitur, assignantes spatium decem dierum ad probationes exhibendas, cum iam causa ad periodum probatariam pervenerit, admonentes quod, elapso inutiliter hoc temporis spatio, omne ius ad interveniendum perimatur.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXII.

DE CAUSA INCIDENTALI IUDICIALI

Can. 1837. — Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 1840. — § 1. Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet.

§ 2. Si causa incidens sit iudicialiter definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis iudiciis obtinent; curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.

§ 3. Iudex in decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.

1. Est causa praeiudicialis quando cognitio unius influit in aliam, est vero incidentalis quando cognitio unius incidat in aliam: his in casibus hae causae sunt definiendae ante causam principalem. Unde prius tractanda est causa status legitimae nativitatis, quam haereditatis, prius causa super matrimonio valide inito, quam super dote.

2. Iudex potest causam praeiudicalem vel incidentalem, auditis partibus vel Prom. Iustitiae vel Def. Vinculi, si opus sit, sol-

vere vel decreto, si levioris momenti, vel servata forma iudiciali si gravitas quaestionis hoc exigit.

3. Causa incidentalis, iudicialiter definienda, considerata est veluti nova causa et hinc servari debent ea omnia quae in hisce regulis tradimus a libelli oblatione usque ad sententiae prolationem. Sententia vocatur interlocutoria.

Exemplum decreti causae incidentalis:

Incidentis super contumacia.

1. — Coram notario F. in civitate X, d. 15 iunii a. 1916 instrumentum confectum est quo Can. Iunius, nomine Mensae Archiepiscopi civili titulo possidens, de mandato Rev.mi Archiepiscopi pro tempore pretio 70.000 fr. fundum quemdam D.nae Mariae vendidit, quae ob leges civiles contra congregationes religiosas latas, Sorores Instituti N. repraesentans, earum nomine fundum emit. Verum hodiernus Antistes, ratus venditionem illam vitio nullitatis laborare, utpote sine sollemnitatibus initam a iure canonico requisitis, nec non perfectam pretio aequo ac iusto minore cum gravi patrimonii dioecesanii praeiudicio, Curiae Promotori Fiscali, quem etiam Procuratorem suum instituerat, mandavit, ut in iudicium vocaret religiosarum Superiorissam una cum mandataria D.na Maria atque consensu dato, cum de bonis Mensae ageretur, controversiam ad Tribunal Collegiale dirimendam detulit.

Processu igitur, Procuratore instante, rite inchoato, vadimonium stetit tum pro Superiorissa tum pro D.na Maria Adv. Iulius, qui exceptionem iam a contentis propositam contra dioecesanum Tribunal protulit. « Il a tout d'abord précisé que ce n'était pas les personnes qu'il récusait, mais le Tribunal diocésain lui-même, comme étant appelé à juger dans une question diocésaine, où il semblait intéressé ». Cum exceptio ista uti frivola et frustratoria per sententiam interlocutoriam diei 30 martii 1922 a., prouti non in Iudices sed in ipsum Tribunal Collegiale prolata, reiecta esset, Adv. Iulius ad Tribunal secundae instantiae provocavit.

Appellationem, uti fundamento destitutam, Iudex Tribunalis posthabuit qui ad ulteriora progredi pronuntiavit indixitque, ut die 20 aprilis de causae merito Adv. Iulius documenta produceret et testes proferret. Bis terque peremptorie ad hoc invitatus conventarum procurator nec documenta exhibuit, nec testes adduxit, sed coram Iudice die 13 maii sistens rogatusque: « Malgré que vous n'avez pas fourni

les noms des témoins ni déposé les documents, comme vous y avez été invité, sous peine de forclusion, par les deux lettres recommandées du 20 Avril et du 1^{er} Mai 1922, acceptez-vous la continuation du procès? » répondit: « Qu'il persistait à s'opposer à l'annulation de la vente du domain, mais qu'il maintenait formellement l'appel relevé par lui devant l'Officialité supérieure ». Iudex tunc eum monuit, quod si in deneganda documentorum productione persisteret: « mardi, 16 courant, à 10 heures, sera prononcée la clôture du procès ». Statuta die comparuit conventarum Procurator et Officiali semel atque iterum quaestionem proponenti: « Mr Jules renonce-t-il à son appel à la curie supérieure et accepte-t-il de soumettre l'affaire de la nullité de la vente du domain à la décision du Tribunal de X? » constanter respondit: « J'ai été convoqué Samedi dernier à la présente audience pour entendre le prononcé d'un jugement et je viens pour l'écouter ». Iudex, Promotori Fiscali accusanti et instanti, ut Adv. Julius contumax condemnaretur, eo quod appellationi renuntiare et causam de venditione Tribunali dioecetano subiicere nollet, adhaerens, contumaciam declaravit, ad ulteriora processit atque eadem die, post meridiem, sententiam definitivam dedit.

Adversus contumaciae decretum die 24 maii, scilicet tempore utili, Adv. Julius ad H. S. Tribunal provocavit, sed tantum die 11 iulii iudicem ad quem appellationem prosequitur petiit. Iudicio tamen instaurato ac, prout par erat, Promotore Iustitiae vocato, dubia sequentia inter partes rite concordata sunt: I. An appellationem adversus decretum contumaciae diei 16 maii 1922 Sorores Instituti N., loci X, tempore utili prosequutae fuerint. Et quatenus affirmative II. An eadem appellatio admittenda sit.

2. — Appellatio ex can. 1881 interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae; ex can. 1883 autem « prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo longius tempus ad eam prosequenda parti praestituerit », ita ut « inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo, sive coram iudice ad quem, deserta censeatur appellatio » (can. 1886).

3. — In casu appellatio a decreto contumaciae die 16 maii lato praesente procuratore, tempore utili, nempe intra decendium, die 24 maii interposita fuerat coram iudice a quo, minime vero promota est coram iudice ad quem, cum conventarum Procurator, forsan iuris canonici ignarus, tantum die 11 Iulii S. R. Rotam petiisset. Neque iudex a quo prorogationem ultra mensem concesserat, quippe quae nec petita esset. In libello diei 11 Iulii Sororum Procurator insinuare videtur

frustra a se authenticum sententiae seu decreti exemplar petatum esse, acta tamen minime probant id factum intra tempus utile. Appellatio igitur deserta censenda est.

Hinc propositis dubiis definitive sententiamus respondentes ad primum: negative; ad secundum: provisum in primo.

Datum in sede tribunalis die 24 iulii 1930.

N. Actuarius

N. Ponens

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XXXIII.

DE IURAMENTO AESTIMATORIO

Can. 1833. — In deferendo iureiurando aestimatorio:

1^o Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2^o Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

1. Iuramentum aestimatorium habet locum quando quaeritur aestimatio rei controversae, quando nempe aliquis ob vim vel dolum alterius (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 163) res suas amisit et quamvis iuridice constet de vi ac dolo, damni tamen illati quantitas non potest determinari ob defectum probationum. Proinde ille qui damnum passus est debet iudici exhibere notulam rerum amissarum et earundem valorem indicare. Si iudex viderit ex adiunctis et secundum communem aestimationem iustum valorem, iuramentum ei defert, ac iuramento praestito, reus super eodem valore et quantitate condemnabitur. Si vero iudicaverit nimium fuisse valorem, illum minuet et super quantitate a iudice taxata, pars laesa iuramentum praestare debet, vel recusare iuramentum et appellationem interponere a gravamine sibi a iudice illato.

les noms des témoins ni déposé les documents, comme vous y avez été invité, sous peine de forclusion, par les deux lettres recommandées du 20 Avril et du 1^{er} Mai 1922, acceptez-vous la continuation du procès? » répondit: « Qu'il persistait à s'opposer à l'annulation de la vente du domain, mais qu'il maintenait formellement l'appel relevé par lui devant l'Officialité supérieure ». Iudex tunc eum monuit, quod si in deneganda documentorum productione persisteret: « mardi, 16 courant, à 10 heures, sera prononcée la clôture du procès ». Statuta die comparuit conventarum Procurator et Officiali semel atque iterum quaestionem proponenti: « Mr Jules renonce-t-il à son appel à la curie supérieure et accepte-t-il de soumettre l'affaire de la nullité de la vente du domain à la décision du Tribunal de X? » constanter respondit: « J'ai été convoqué Samedi dernier à la présente audience pour entendre le prononcé d'un jugement et je viens pour l'écouter ». Iudex, Promotori Fiscali accusanti et instanti, ut Adv. Julius contumax condemnaretur, eo quod appellationi renuntiare et causam de venditione Tribunali dioecesano subiicere nollet, adhaerens, contumaciam declaravit, ad ulteriora processit atque eadem die, post meridiem, sententiam definitivam dedit.

Adversus contumaciae decretum die 24 maii, scilicet tempore utili, Adv. Julius ad H. S. Tribunal provocavit, sed tantum die 11 iulii iudicem ad quem appellationem prosequitur petiit. Iudicio tamen instaurato ac, prout par erat, Promotore Iustitiae vocato, dubia sequentia inter partes rite concordata sunt: I. An appellationem adversus decretum contumaciae diei 16 maii 1922 Sorores Instituti N., loci X, tempore utili prosequutae fuerint. Et quatenus affirmative II. An eadem appellatio admittenda sit.

2. — Appellatio ex can. 1881 interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae; ex can. 1883 autem « prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo longius tempus ad eam prosequenda parti praestituerit », ita ut « inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo, sive coram iudice ad quem, deserta censeatur appellatio » (can. 1886).

3. — In casu appellatio a decreto contumaciae die 16 maii lato praesente procuratore, tempore utili, nempe intra decendium, die 24 maii interposita fuerat coram iudice a quo, minime vero promota est coram iudice ad quem, cum conventarum Procurator, forsan iuris canonici ignarus, tantum die 11 Iulii S. R. Rotam petiisset. Neque iudex a quo prorogationem ultra mensem concesserat, quippe quae nec petita esset. In libello diei 11 Iulii Sororum Procurator insinuare videtur

frustra a se authenticum sententiae seu decreti exemplar petatum esse, acta tamen minime probant id factum intra tempus utile. Appellatio igitur deserta censenda est.

Hinc propositis dubiis definitive sententiamus respondentes ad primum: negative; ad secundum: provisum in primo.

Datum in sede tribunalis die 24 iulii 1930.

N. Actuarius

N. Ponens

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XXXIII.

DE IURAMENTO AESTIMATORIO

Can. 1833. — In deferendo iureiurando aestimatorio:

1^o Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2^o Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

1. Iuramentum aestimatorium habet locum quando quaeritur aestimatio rei controversae, quando nempe aliquis ob vim vel dolum alterius (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 163) res suas amisit et quamvis iuridice constet de vi ac dolo, damni tamen illati quantitas non potest determinari ob defectum probationum. Proinde ille qui damnum passus est debet iudici exhibere notulam rerum amissarum et earundem valorem indicare. Si iudex viderit ex adiunctis et secundum communem aestimationem iustum valorem, iuramentum ei defert, ac iuramento praestito, reus super eodem valore et quantitate condemnabitur. Si vero iudicaverit nimium fuisse valorem, illum minuet et super quantitate a iudice taxata, pars laesa iuramentum praestare debet, vel recusare iuramentum et appellationem interponere a gravamine sibi a iudice illato.

Exemplum petitionis a iudice parti laesae propositae:

Nos Officialis, cui delatum est onus detegendi veritatem ut parti laesae restituatur quae sua sunt, vel praetium pro aequitate reddatur, praesenti decreto decernimus ut coram Nostro Tribunali, legali citatione die et hora etc. compareas ad oretenus sub iuramenti sanctitate designandum quale damnum passus sis, necnon quales res fuerint ablatae vel dolo perditae, earumque praetium et valorem secundum suam probabilem aestimationem exprimas, monentes quod si quae sub iuramenti vinculo depones non veritati respondere videantur, ita ut taxatio nimia aestimetur, propriis expensis eligemus peritos, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

Formula iuramenti:

Ego N. N. tactis SS. Dei Evangelii testor mihi ablato fuisse..... quorum valor ascendit ad duo millia libellarum etc.

N.

CAPUT XXXIV.

DE IURAMENTO SUPPLETORIO

Can. 1829. — Si habeatur semiplena tantum probatio, nec alia probationis adiumenta iam supersint et index aut iubeat aut admittat iusiurandum ad probationes supplendas, hoc iusiurandum dicitur *suppletorium*.

1. Iuramentum suppletorium iudex defert uni ex litigantibus ob defectum plenae probationis; hoc non potest recusari a parte cui delatum est, nec potest referri (Sebastianelli, P. I, 162).

2. Iudex deferre debet iuramentum personae, quae non sit suspecta de periurio, et cum causae cognitione: prohibetur enim delatio iuramenti in causis criminalibus criminaliter actis, in causis civilibus, valde arduis, quae criminalibus aequiparantur, in causis omnibus famosis quae reum reddunt infamem, et in causis matri-

monialibus et professionis religiosae, quoties agatur de vinculi dissolutione.

3. Iuramentum fieri debet in praesentia partis adversae et proposita formula, quam pars quae iurare debet, admittere potest aut corrigere. Hoc iuramentum a iudice deferri potest vel ad instantiam partis, vel ex officio.

Exemplum iuramenti suppletorii:

Anno..... die.... mense..... in aedibus..... comparuit N. N. fil. N. natus..... domicil..... qui requisitus a me infrascripto iudice, respondit:

1º se velle inire matrimonium cum N. N. (vel aliud),

2º se commorasse variis in locis ratione suae professionis et familiae,

3º se scivisse a suis parentibus fuisse baptizatum, in loco N. et numquam se matrimonium iniisse, sive coram Ecclesia vel coram magistratu civili,

4º se non posse praebere documenta scripta a Curiis ecclesiasticis, quae probent se fuisse baptizatum et liberum ab omni vinculo matrimoniali, sed deponit cum iuramento tactis SS. Dei Evangelii, sciens vim et sanctitatem iurisiurandi, se baptizatum fuisse, ex attestatione suorum parentum, et numquam matrimonium iniisse.

N. N. post lectionem suae depositionis, eam subscripsit.

Notarius N.

N.....

Iudex N.

CAPUT XXXV.

DE IURAMENTO DECISORIO

Can. 1834. — § 1. Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur, sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum deferre, ea conditione ut quaestio sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.

1. Iuramentum litis decisorium parum differt a iuramento extraiudiciali, et in hoc consistit ut unus ex litigantibus sive actor, sive reus (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 161), incepto iudicio, iudicis auctoritate defert alteri parti iuramentum, quod si praestetur, secumfert controversiae decisionem.

2. Pars vero, cui delatum fuit iuramentum non tenetur iurare, sed potest iuramentum referre, et deferens tenetur iurare. Iuramentum praestitum vim habet rei iudicatae producentis actionem aut exceptionem iuratoriam; non admittit appellationem aut remissionem, etiam praetextu quod nova instrumenta fuerint reperta; nam in casu habetur quaedam species transactionis quae vim conditionis habet ad decisionem causae. Si iuramentum delatum aut relatum praestitum non fuerit, reus habetur pro convicto, et actor repellitur ab agendo.

Exemplum decreti ad deferendum iuramentum:

Cum una ex partibus litigantibus N. N. dirimere quaestionem desiderat per iuramentum decisorium quod altera pars praestare deberet, Nos Officialis Tribunalis dioecesis N. ad rectam iustitiae administrationem, ad normam can. 1834, praesenti decreto disponimus ut alteri parti iuramentum coram Nobis in aula Tribunalis die et hora etc. deferatur et praestetur, ea conditione ut quaestio sive principalis, sive incidens, secundum iuramentum decisa habeatur, non obstantibus quibuscumque; et per Nostrum actuarium notificetur.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXVI.

DE CONCLUSIONE IN CAUSA

Can. 1860. — § 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa deveniendum est.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsus sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

1. Allatis probationibus tempore a iudice praefinito fit locus conclusioni in causa, quae definitur actus iudicialis quo utrique parti ulterior probationum, seu exceptionum, productio interdicatur, idque in iure inductum est ne lites in infinitum ex litigantium fraudibus protrahantur. Conclusio in causa non debet confundi cum publicatione processus, haec enim fit ut respective partes ab allegatis in processu se defendant, illa ut prohibeantur posteriores probationes.

2. Decretum conclusionis in causa fieri potest a iudice vel per declarationem partium, et hoc habetur tanquam renuntiatio ulteriorum probationum, vel quia elapsus utile tempus ad probationes ferendas, vel quia ipse iudex suo iudicio putat causam sufficienter instructam. Iudex in conclusione causae partes invitare debet ad dicendum et allegandum in iure et in facto, idest, ad deducendas conclusiones ex allatis et probatis in iudicio, quod fit per causae disceptationem (Lega, n. 533). Iudex de peracta conclusione in causa decretum ferre debet.

Exemplum decreti:

Cum, partibus auditis, ipsae declaraverint nil habere quod exhibeant ad veritatem detegendam, et si etiam haberent Nobis videtur quod quae habentur in actis satis sint ad rectam administrationem iustitiae, praesenti decreto iuxta can. 1860 ad conclusionem in causa deveniendum esse disponimus, et statuimus spatium 30 dierum ad defensionalia scripta producenda, saltem quadruplici exemplari. Notarius autem hoc decretum statim partibus communicet.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

Urgente tamen gravissima ratione iudex mediante decreto poterit ulteriora documentamittere, quod decretum alteri parti notum fiet, eidem concessio congruo tempore pro responsione:

En formula:

(Indicatio diei et causae Tituli) N. N., ut probatur ex unitis allegationibus et attestationibus, nonnisi ad ultimum reperit nova documenta quae exhibet, ideo instat ut admittantur.

Supra dictam instantiam iudex rescribit vel *negative* vel hoc decretum: *Attenta instantia N. N.; attentis rerum adiunctis, unde probatur nonnisi ad ultimum documenta, quae exhibentur, fuisse reperta, haec eadem documenta, admitti in iudicium permittimus, congruo termino... dierum concesso ut super iisdem respondere possit pars adversa. Ideoque mandamus ut notificetur.*

Actuarius N.

Iudex N.

CAPUT XXXVII.

DE PROCESSUS PUBLICATIONE

Can. 1858. — Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.

Can. 1859. — Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.

1. Postquam testes auditi sunt, et documenta allata a partibus vel ex officio, tunc iudex suo decreto statuit publicationem processus, seu facultatem concedit partibus vel eorum advocatis ut acta processualia inspiciant ad se defendendos contra partem adversam, et ad nova acta vel testimonia producenda, si velint.

2. In causis matrimonialibus defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo, tum in scriptis, tum in defensione orali audiatur postremus; quare tribunal ne deveniat ad sententiam definitivam, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse: si vero vinculi defensor nihil deduxerit ante praefinitum a iudice iudicii diem, praesumitur eum nil iam deducendum habere.

Iudex hac formula utitur:

In causa, de qua agitur, cum processus instructus censeatur, publicentur acta et partibus detur facultas inspiciendi acta processualia, et exemplar petendi.

Datum.....

Actuarius N.

Iudex N.

CAPUT XXXVIII.

DE CAUSAE DISCEPTATIONE

Can. 1862. — § 1. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.

1. Defensiones, iuxta can. 1863 et seq., in scriptis conficiendae sunt, vel mandato iudicis etiam tipis imprimi poterunt una cum documentis principalibus, sed antequam imprimantur necessario requiritur iudicis venia, qui in calce rescribit:

« poterit imprimi — N. iudex ».

Defensiones inter partes vicissim communicantur, ut utrique parti responsiones exhibere liceat sed una tantum vice, speciali concessione iudicis excepta.

2. Defensio tribus partibus principalibus constare debet, nempe a) facti species, b) quoad ius, c) quoad factum, et conclusio.

3. Post defensiones in scriptis praesentatas a partibus vel eorum advocatis, et a Prom. Iustitiae vel Vinculi Defensore, datur a iudice tempus utile ad responsiones faciendas sequenti decreto:

Cum advocati partium et Prom. Iust. (vel Vinculi Defensor) ad normam can. 1863, scripta defensionalia inter se mutuo dederint, Tribunal ad normam can. 1865 statuit tempus quindecim dierum ad responsiones praesentandas. Hoc tempore inutiliter elapso, procedatur ad prolationem et publicationem sententiae; et hoc decretum notificetur ad normam iuris.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXIX.

DE SENTENTIAE DISCUSSIONE

Can. 1871. — § 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.

§ 2. Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.

§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam compendinari non debet.

Sessio ita concludi potest:

Audito voto ponentis in causa, necnon aliorum iudicum, omnibus sedulo perpensis, et discussione peracta tum de iure tum de facto, dubio concordato iudices seorsum responderunt et declaraverunt (exempli gratia):

Negative ad primum; affirmative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Officialis.

Negative ad primum; affirmative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Iudex.

Affirmative ad primum; negative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Iudex.

Officialis mandavit ut sententiae prolatio clare et sedulo in actis processus per notarium notetur, et decrevit per ponentem sententiam in scriptis exarandam.

Notarius N.

N. Officialis

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XL.

DE SENTENTIAE PROLATIONE

Can. 1870. — Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum.

Can. 1872. — Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584.

Can. 1584. — Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatores designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententias in scriptis redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iusta causa substituere.

Ut valida sententia sit debent observari sollemnitates a iure requisitae, nempe:

a) Sententia proferenda est conformiter libello actoris seu iuxta dubium concordatum.

b) Debet esse certa, determinata, idest non alternativa, et absoluta seu non conditionata.

c) In sententia exprimi debent rationes sive in iure sive in facto quibus iudex fuit inductus ad eam edendam.

d) Edatur necesse est in loco ad iudicia ferenda destinato.

e) Vetitum est sententias ferri diebus feriatis, iuxta c. 1639, nempe in diebus festis de praecepto et ultimis tribus diebus hebdomadae sanctae.

f) Sententia scripto exarata exprimere debet nomina iudicum, actoris, rei, procuratoris, prom. iustitiae, defens. vinculi, si adfuerunt.

g) In ipsa decernere iudex debet etiam de expensis, quae si non adsint in tabellis taxarum Curiae, relinquuntur arbitrio iudicis determinandae.

Sententiae exemplar:

ROMANA = Nullitatis Matrimonii
(G. - P.)

In nomine Domini.

Pio PP. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo, die 16 decembris 1931, RR. PP. DD. N. N. Officialis, N. N. et N. N. Iudices adiutores in causa ROMANA — Nullitatis Matrimonii — inter actricem N. N., repraesentatam per advocatum R. D. Iconem Benedetti, et reum conventum, N. N. Romae ambo domicilium habentes, interveniente et disceptante in causa R. D. N. N. Defensore Vinculi, hanc tulerunt definitivam sententiam:

1) FACTI SPECIES: G. N. 17 annos nata cognovit F. P. a matre praesentatum, qui tamen ei non placuit, immo statim suam repugnantiam expressit. Sed mater putans ex hoc matrimonio omnia fausta ventura esse suae familiae sive ex divitiis quas iactitabat pater F. sive ex nobilitate eius, illud voluit verbis, minis et factis. Post aliquot menses matrimonium celebratum est contra voluntatem G. N. quae prima nocte noluit cum viro decumbere, et primo mane domo aufugit. Rediit postea sed vita coniugalis fuit semper litigiosa, nunquam pacifica. G. supplicem libellum Urbis vicario obtulit ut matrimonium nullum declararetur ex capite vis et metus, et dubio concordato, quaestio dirimenda venit solita dubitandi formula: An constet de nullitate matrimonii in casu.

2) IN IURE. Nullum est matrimonium initum ob metum absolute vel relative gravem necnon reverentialem qualificatum, iniustum, ab extrinseco a causa libera illatum, ad extorquendum consensum matrimonialem directum, a quo ut quis se liberet, connubium eligere cogatur.

3) IN FACTO

Quibus omnibus consideratis atque in iure et in facto attente perpensis, Nos infrascripti Officialis et Iudices pro tribunali sedentes solumque Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, dicimus, declaramus ac definitive sententiamus: «constare de nullitate matrimonii in casu», seu proposito dubio respondemus AFFIRMATIVE. Expensas autem causae ab actrice sustinendas esse decernimus.

Atque ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum atque ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni committant hanc Nostram definitivam sententiam ad normam sacrorum canonum.

Datum Romae, in Aula S. Tribunalis, die 8 augusti 1931.

Sign.: N. N. Officialis
N. N. iudex
N. N. iudex

Ex Cancellaria, die 18 novembris 1931.

(L. † S.).

N. N. Notarius.

CAPUT XLI.

DE SENTENTIAE PUBLICATIONE

Can. 1877. — Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.

1. Prolata sententia, videndum est (conf. Sebastianelli, *de iud.*, 188) an sit valida vel invalida. Si invalida fuerit sententia, datur adversum eam querela nullitatis. Si valida, litem finit, quando victus expresse vel tacite sententiae acquiescit; expresse per expressam litis renunciationem victori factam, tacite si intra decem dies ab ea victus non appellavit. Decendum vero computandum est a prolacione sententiae si lata fuerit in praesentes; a die habitae notitiae sententiae, idest ab eius notificatione atque intimatione, si lata fuerit in absentes. Quando hoc habetur sententia transit in rem iudicatam. Tamen nunquam transeunt in rem iudicatam sententiae in causis matrimonialibus (can. 1989), quae retractari possunt, si adsint nova argumenta.

g) In ipsa decernere iudex debet etiam de expensis, quae si non adsint in tabellis taxarum Curiae, relinquuntur arbitrio iudicis determinandae.

Sententiae exemplar:

ROMANA = Nullitatis Matrimonii
(G. - P.)

In nomine Domini.

Pio PP. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo, die 16 decembris 1931, RR. PP. DD. N. N. Officialis, N. N. et N. N. Iudices adiutores in causa ROMANA — Nullitatis Matrimonii — inter actricem N. N., repraesentatam per advocatum R. D. Iconem Benedetti, et reum conventum, N. N. Romae ambo domicilium habentes, interveniente et disceptante in causa R. D. N. N. Defensore Vinculi, hanc tulerunt definitivam sententiam:

1) FACTI SPECIES: G. N. 17 annos nata cognovit F. P. a matre praesentatum, qui tamen ei non placuit, immo statim suam repugnantiam expressit. Sed mater putans ex hoc matrimonio omnia fausta ventura esse suae familiae sive ex divitiis quas iactitabat pater F. sive ex nobilitate eius, illud voluit verbis, minis et factis. Post aliquot menses matrimonium celebratum est contra voluntatem G. N. quae prima nocte noluit cum viro decumbere, et primo mane domo aufugit. Rediit postea sed vita coniugalis fuit semper litigiosa, nunquam pacifica. G. supplicem libellum Urbis vicario obtulit ut matrimonium nullum declararetur ex capite vis et metus, et dubio concordato, quaestio dirimenda venit solita dubitandi formula: An constet de nullitate matrimonii in casu.

2) IN IURE. Nullum est matrimonium initum ob metum absolute vel relative gravem necnon reverentialem qualificatum, iniustum, ab extrinseco a causa libera illatum, ad extorquendum consensum matrimonialem directum, a quo ut quis se liberet, connubium eligere cogatur.

3) IN FACTO

Quibus omnibus consideratis atque in iure et in facto attente perpensis, Nos infrascripti Officialis et Iudices pro tribunali sedentes solumque Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, dicimus, declaramus ac definitive sententiamus: «constare de nullitate matrimonii in casu», seu proposito dubio respondemus AFFIRMATIVE. Expensas autem causae ab actrice sustinendas esse decernimus.

Atque ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum atque ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni committant hanc Nostram definitivam sententiam ad normam sacrorum canonum.

Datum Romae, in Aula S. Tribunalis, die 8 augusti 1931.

Sign.: N. N. Officialis
N. N. iudex
N. N. iudex

Ex Cancellaria, die 18 novembris 1931.

(L. † S.).

N. N. Notarius.

CAPUT XLI.

DE SENTENTIAE PUBLICATIONE

Can. 1877. — Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.

1. Prolata sententia, videndum est (conf. Sebastianelli, *de iud.*, 188) an sit valida vel invalida. Si invalida fuerit sententia, datur adversum eam querela nullitatis. Si valida, litem finit, quando victus expresse vel tacite sententiae acquiescit; expresse per expressam litis renunciationem victori factam, tacite si intra decem dies ab ea victus non appellavit. Decendum vero computandum est a prolacione sententiae si lata fuerit in praesentes; a die habitae notitiae sententiae, idest ab eius notificatione atque intimatione, si lata fuerit in absentes. Quando hoc habetur sententia transit in rem iudicatam. Tamen nunquam transeunt in rem iudicatam sententiae in causis matrimonialibus (can. 1989), quae retractari possunt, si adsint nova argumenta.

Si publicatio sententiae fiat in praesentes, notarius redigat hoc instrumentum:

Praesentibus in Sede Tribunalis dioecese N., Officiali N. et iudicibus N. et N. et Prom. Iust. (vel Vinculi Defensore) et infrascripto actuario, necnon actore et convento repraesentatis a legitimis eorum advocatis et procuratoribus, Officialis Ponens in causa sententiam clara voce legit, et dispositivum eiusdem sententiae perlectum quaesivit a partibus an bene intellexerint. Tribunal hoc instrumento sententiam fuisse publicatam et pro publicata haberi decernit.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

Si autem partes praesentes non fuerunt tunc sententia publicatur hoc modo:

Mitto ad te copiam authenticam sententiae prolatae a Nostro Tribunali dioecese, in causa..... et per praesentem obligationem sententiae dispono ut sententia tanquam publicata habeatur, iuxta can. 1877.

Seias, iuxta can. 1881, te habere facultatem, sive directe sive per tuum advocatum procuratorem, appellandi ad superius tribunal intra decem dies a receptione praesentium litterarum.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XLII.

DE QUERELA NULLITATIS

Can. 1892. — Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:

1º Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1;

2º Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;

3º Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.

1. Per querelam nullitatis quis petit ut sententia ex aliquo vitio substantiali invalida, declaretur nulla et ea debet proponi apud iudicem, qui sententiam tulit, si ordinarius sit, non autem si fuerit delegatus. Tunc recurrendum ad iudicem superiorem.

Si querela proponitur cum appellatione, intra decem dies proponi debet. Si vero seorsim tunc intra tres menses a die publicationis coram iudice qui sententiam tulit.

Si querela sit contra sententiam, quae habeat vitium insanabilis nullitatis, ut in can. 1892, tunc intra triginta annos proponi potest.

2. Possunt proponere querelam nullitatis vel partes, vel Prom. Iust. et Vinculi Defensor, si tamen iudicio interfuerunt, et etiam ipse iudex ex officio, si sententiam nullam emisisse re cognoscat, potest eam retractare et emendare.

Ita proponi potest querela nullitatis:

Subscriptus actor in causa (vel reus conventus) instat ut sententia lata die et mense etc. a tribunali dioecese primae instantiae (vel secundae instantiae) nulla declaretur ex vitio insanabili nullitatis ex capite primo (vel secundo vel tertio) canonis 1892, et praesenti petitione dictam sententiam querela nullitatis impugnat his sequentibus argumentis:

Datum etc.

N. N.

Decretum admissionis querelae nullitatis:

Visis rationibus et argumentis allatis ab actore in causa (vel convento) quibus sententia lata a Tribunali dioec. sub die etc. querela nullitatis impugnatur;

Visis dispositionibus can. 1892, quibus statuitur quando sententia iudicialis insanabilis vitio nullitatis laboret;

Praesenti decreto decernimus sententiam de qua supra nullitatis vitio laborare, et disponimus causam intra mensem denuo proponendam esse, servatis iuris normis.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XLIII.

DE APPELLATIONE

Can. 1879. — Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt, ius habent a sententia appellandi, idest provocandi ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem, salvo praescripto can. 1880.

Can. 1881. — Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.

Can. 1882. — § 1. Appellatio fieri potest oretenus coram iudice pro tribunali sedente, si publice sententia legatur, statimque ab actuario scriptis redigenda est.

§ 2. Aliter facienda est in scriptis, salvo casu de quo in can. 1707.

Can. 1886. — A prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, vinculi defensor, intra legitimum tempus, ad superius tribunal provocare debet; et si negligat officium suum implere, compellatur auctoritate iudicis.

Can. 1887. — Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.

1. Appellatio est remedium ordinarium ad obtinendam revocationem aut rescissionem sententiae, et differt a querela nullitatis, quod remedium extraordinarium est. Per appellationem obtineri potest, ut gravamen inique illatum removeatur; ut imperitia iudicantium corrigatur; ut defectus in probando ex ignorantia vel negligentia admissi in primo iudicio, in secunda instantia emendentur.

2. In causis matrimonialibus contra sententiam pro nullitate semper a Vinculi Defensore ad tribunal 2^{ae} instantiae appellari debet (can. 1896).

Appellatio prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi aliter iudex a quo statuerit.

Appellatio amplius locum habere nequit, quando habeantur duae sententiae conformes. A tribunali dioecetano appellatio fit ad metropolitanum, vel a dioecesi immediate subiecta S. Sedi aut a Metropolitana ad Ordinarium, quem Sancta Sedes semel pro semper designavit.

Tamen semper fas est a tribunali primae instantiae ad S. Rom. Rotam appellare. Elapsis fatalibus, appellatio censetur deserta.

En formula appellationis:

Contra sententiam latam a Tribunali N. N. primae instantiae (vel secundae instantiae) die etc. vi cuius ad dubium concordatum responsum est affirmative, seu constare etc. appellationem ad superius tribunal interpono.

Datum etc.

N. N.

In causis matrimonialibus contra sententiam primae instantiae, quae decrevit de nullitate matrimonii constare, Vinculi Defensor tenetur appellare ad superius Tribunal, hac formula:

Cum sententia diei etc. dubio an de matrimonii inter Henricam et Titium nullitate constare, responsum fuerit affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, ego subscriptus Defensor Vinculi ex dispositione can. 1886 ad tribunal secundae instantiae appellationem produco.

Datum etc.

Defensor Vinculi N.

Iudex mittere debet ad Tribunal secundae instantiae exemplar authenticum actorum *causae* et *processus* cum hac declaratione a notario scripta:

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus existentibus in archivio huius tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fidei transcriptione et integritate eiusdem exemplaris. In fidem etc.

Datum etc.

N. Actuarius

Loc. † sigilli.

CAPUT XLIV.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM

Anno Dni 1932, die vero 10 Iunii hora 10 ante merid. in aedibus Curiae Archiepisc. in aula tribunalis, praesentibus Rev.mo N. Officiali, Rev. D. D. N. et N. Iudicibus et Rev. Vinculi Defensore, meque infrascripto Actuario, Officialis declarat testem inductam Luciam Barth, domo Massilien., non posse se praesentare coram nostro Tribunali variis de causis, praesertim ex difficultate derelinquendi liberos et domum. Quapropter testem interrogandam esse dicit a Tribunali Massilien. litteris rogatoriis datis eidem Episcopo Massilien. cum omnibus facultatibus, etiam subdelegandi. Vinculi Defensor affert Officiali interrogatorium clausum et obsignatum, mittendum Ordinario pro testis depositione, et insuper Officialis decretum edit, et iubet notario ut ad normam iuris mittatur ad Ordinarium Massilien.

(Parisien. Nullitatis matrimonii Dont-Sopin).

Exc.mo Ordinario Massilien.,

Infrascriptus Officialis et in causa de qua supra ponens, E. T. Rev.mae munus committit excutiendi testem Luciam Barth, degentem Massiliae, rue Paul Bert 7, super quaestionibus in adnexo folio descriptis, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, non exclusa potestate subdelegandi, constituto in primis Vinculi Defensore, eidemque facta facultate alias addendi quaestiones vel propositas emendandi, prout adiuncta suaserint. Actis ad Cancellariam N. S. Tribunalis mittendis attestatio addatur de fide huic testi habenda. Et quo par est obsequio E. Tuam Rev.mam prosequor.

addictissimus

N. Officialis ponens
N. Notarius.

Tribunal eccl. Massilien.

Infrascriptus ab Episcopo delegatus ad iudiciale interrogatorium peragendum testis Luciae Barth, praesente Vinculi Def. N. et Notario, declarat se habuisse ab Episcopo Massilien. litteras rogatorias missas ab Archiep. Parisien., et per cursorem testem citatam fuisse ad comparandum hac die 20 Iunii 1932 hora decima in Aula Tribunalis; et quia de facto comparuit, per apparitorem seu cursorem coram tribunali se sistit.

Tunc Defensor Vineuli tradit Iudici delegato interrogatorium clausum et obsignatum, qui post monitionem testi factam de veritate dicenda et de secreto servando et de poenis canonicis contra periuros, eam interrogat:

Q. 1. Identité. Pièce d'identité. Certificat d'honorabilité.

R. Barth Lucie, née le 29 janvier 1865, ménagère, domiciliée à Marseille 7 rue Paul Bert. L'intéressée présente son livret de famille, conforme à ses dépositions.

Q. 2. Serment.

R. *Iam provisum antea.*

Q. 3. Préliminaires de mariage, quand, où, comment, par qui?

R. Je ne sais rien des préliminaires du mariage. H. Dont est un de mes parents très éloignés. Je ne l'avais pas vu depuis 1914, je le revis seulement en 1921 autour du 15 août. Dans l'intervalle, il s'était marié, mais je n'avais pas eu de détail là-dessus.

Q. 4. La question des enfants a-t-elle été agitée par le fiancés? En quelles circonstances? Devant qui? Combien de fois?

R. Voici ce que je sais. Quand H. Dont et sa femme sont venus chez nous vers le 15 août 1921, j'ai demandé à E. Sopin, s'il n'y avait pas encore apparence de famille. Elle m'a répondu: « De la famille, je n'en veux pas, j'ai peur de mourir ». J'ai répondu simplement: « Cependant quand on est marié, c'est pour se créer une famille ». Je n'ai pas voulu pousser plus loin, car j'avais chez moi, mes jeunes filles non encore mariées.

Q. 5. L'exclusion des enfants était-elle pour E. Sopin une volonté définitive, absolue et perpétuelle? Qu'a dit Mr Dont? Pourquoi n'a-t-il pas rompu les fiançailles?

R. Le ton d'E. Sopin lorsqu'elle m'a dit ce que je viens de raconter, était sûrement sérieux. Pour son mari, je pense bien qu'il aurait voulu des enfants, et il dit quelquefois: « Si j'étais replacé, je voudrais bien de la famille ». C'est tout ce que je sais.

Q. 6. Quelle était l'intention d'E. Sopin au moment de l'échange des consentements? Date et lieu du mariage?

R. Je ne sais pas, puisque je n'étais pas là en ce moment. E. Sopin était une personne distante et peu attirante, qui ne tenait pas beaucoup conversation. Le mariage a dû avoir lieu aussitôt après l'armistice.

Q. 7. Dès le premier jour, a-t-elle pris des précautions anticonceptionnelles? Les a-t-elle fait prendre à son mari? Y-a-t-il eu des enfants?

R. Je ne sais rien là dessus, sauf qu'il n'y a pas eu d'enfants.

Q. 8. La vie conjugale a-t-elle été heureuse? Combien de temps a-t-elle duré? Comment a-t-elle pris fin? Y-a-t-il divorce? Au profit de qui? Une réconciliation est-elle possible?

R. H. Dont à mon point de vue, n'a pas dû être très heureux. La femme ne voulait pas suivre son mari. Je crois bien qu'il y a divorce et qu'une réconciliation n'est pas possible.

Absoluto examine, de mandato iudicis, integra depositio clara voce testi legitur et iudex eandem interrogat.

Q. 9. Avez-vous quelque chose à ajouter, à retrancher ou à modifier à votre déposition?

R. Non.

Tum iudex a teste petit ut iusiurandum praestet de veritate dictorum et de secreto servando. Testis, tactis Evangeliiis, requisitum sic praestat iusiurandum:

« Je jure d'avoir dit la vérité, toute la vérité, rien que la vérité, et de garder le secret demandé ».

Tandem iudex testem monet ut depositionem suam subscribat.

Signé: Lucie Barth.

Testimonium de credibilitate testis.

Parochus infrascriptus bonum testimonium de credibilitate, bona fama, et honestate Dom. Barth Lucie plena conscientia emittit.

Massiliae, die 30 Iunii 1932.

J. Merin Par.

Decretum

Tribunal excussione testium peracta, cum depositio testis Louis Nain ob deficientiam mentis afferat aliqua quae ad causam pertinentia inventa non sunt nec utilia ad veritatem acquirendam ad normam can. 1775, decernit expunctionem dictae depositionis, et evulgationem testificatorum et ordinat actuario ut partes de hac evulgatione edoceat ut si quid habeant vel producendum vel reprobandum (can. 1773, § 2) hoc faciant ante diem 10 Iulii 1932 hora 10.

Datum Parisiis die 29 Iunii 1932.

Actuarius N.

Officialis N.

Decretum

Cum instruat in hoc tribunali causa super nullitatem matrimonii inter H. Dont et E. Sopin, necesse est ut sedulo investigetur ut habeatur testimonium de testium credibilitate.

Quapropter infrascriptus Officialis mandat Rev. parochis singulorum testium, ut pro pastoralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirant et distincte huic tribunali significant notas de religione et honestate testium inductorum, an nempe praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant, et an credi possint et debeant. Insuper pro sua prudentia parochi referre velint de omnibus aliis quae ad depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur. Quod si testis non fuerit Parochis cognitus, inquisitio ope prudentis personae sibi bene visae et sub secreto instituatur.

Actuarius huius decreti notificationem faciat singulis parochis inductorum testium.

Datum ex aedibus Tribunalis, Parisiis die 29 Iunii 1933.

Actuarius N.

Officialis N.

Decretum

Cum, actore audito, ipse declaraverit nihil habere quod exhibeat ad veritatem detegendam, et si etiam habeat Nobis videtur quod quae habentur in actis satis sint ad rectam administrationem iustitiae, praesenti decreto, iuxta can. 1860, ad conclusionem in causa deveniendum esse disponimus, et statuimus spatium 30 dierum ad defensionalia scripta producenda, saltem quadruplici exemplari. Notarius autem hoc decretum partibus communicet.

Datum Parisiis die 30 Iulii 1932.

Notarius N.

Officialis N.

Decretum

In causa de qua agitur, cum processus instructus censeatur, publicentur acta et detur facultas inspiciendi acta processualia et exemplar petendi.

Datum Parisiis die 30 Iulii 1932.

Notarius N.

Officialis N.

Fides de honorabilitate familiae Lerin et Hayez.

Le 17 Juillet 1932.

Monsieur l'Official,

Connaissant assez peu la famille Lerin, mon témoignage ne peut être que très réservé.

Cependant Mmes Hayez Léa et Line font élever leurs enfants chrétiennement et jouissent d'une bonne réputation dans leur voisinage.

Veillez agréer, Monsieur l'Official, l'expression de mes sentiments très respectueux.

Signé: V. Coret, pr.

Fides de honorabilitate H. Dont.

131, Avenue St Denis

23 Juillet 1932.

La famille de Monsieur H. Dont, qui habite la paroisse de la Plaine St Denis, est une famille chrétienne et honorable.

Signé: P. Rabeux, curé.

Fides de honorabilitate familiae Dont.

Paris, le 23 Juillet 1932.

Monsieur l'Abbé,

Sachant que l'affaire Dont-Sopin est traitée ces jours-ci devant l'Officialité de Paris, je m'empresse de vous confirmer l'honorabilité de la famille de Monsieur N. Dont, 5 rue St Paul.

Depuis de nombreuses années que je connais Monsieur Dont et sa femme, je puis vous affirmer que ce sont d'excellents chrétiens, dignes de foi, et jouissant encore dans leur ancienne résidence d'une parfaite renommée.

Veillez accepter, Monsieur l'Abbé, l'expression de mes respectueuses salutations en N. Seigneur.

Signé: P. Coret, vic.

Fides de honorabilitate Desen et Delseau.

23 Juillet 1932.

Monsieur l'Official,

Je ne connais pas personnellement les dames Desen et Delseau, sur lesquelles vous me demandez de témoigner.

L'enquête que j'ai menée dans le voisinage de leur habitation ne m'a fourni aucun renseignement désavantageux à leur égard.

An surplus, je me permettrai de vous dire que je ne suis nullement au courant de l'affaire Dont-Sopin.

Veillez agréer, Monsieur l'Official, l'expression de mes sentiments très respectueux.

Signé: S. Callen, curé.

SENTENTIA TRIBUNALIS PARISIEN.

Nous, N. Docteur en Droit canonique, Official de Paris et ponent dans la présente cause, L. Docteur en Droit canonique, L. Docteur en Droit canonique, professeur, Juges synodaux, désignés ad turnum par l'Ordinaire;

Vu l'extrait de mariage de la paroisse de Notre-Dame.

Lu les dépositions du Demandeur et des témoins cités à la requête du Demandeur.

Vu le décret de contumace de la partie Défenderesse.

Lu attentivement la plaidoirie de Monsieur B., Docteur en Droit canonique, avocat du Demandeur, et les animadversiones de Monsieur M. Défenseur du Lien;

En droit:

Considérant que le mariage est un contrat bilatéral et consensuel, élevé chez les chrétiens à la dignité de sacrement par N.-S. J.-C., mais en devenant sacrement, le mariage n'en reste pas moins un contrat, et ce contrat ne peut exister que par le consentement des parties:

« Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos » (can. 1012, par. 1);

« Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet » (can. 1081, par. 1);

Considérant que l'acte de volonté qui est le consentement matrimonial a pour objet formel, essentiel, le droit mutuel à l'union des corps que les époux s'accordent et reçoivent l'un de l'autre en vue de la procréation des enfants: « Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081, § 2) et que la fin primaire du mariage est

la procréation et l'éducation des enfants: « matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis » (can. 1013, § 1);

Considérant qu'il y a contradiction à vouloir et à ne pas vouloir le mariage, que c'est ne le vouloir pas que de le vouloir privé des éléments essentiels qui le constituent; que la procréation des enfants est sa raison d'être fondamentale, que par conséquent la volonté d'exclure les enfants dès lors qu'elle est prédominante, exclut le consentement à un vrai mariage, c'est la doctrine qui découle du canon 1086, § 2: « At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad conjugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem invalide contrahit »;

Considérant que le mariage ne serait pas nul, si l'exclusion des enfants faisant l'objet de la condition mise au contrat, n'était pas absolue et perpétuelle, mais comportait une limitation, v. g. « donec melior fortuna arrideat, indicat contrahentem voluisse verum inire matrimonium sed simul iure matrimonii abuti, nisi aliud constet » (Gasparris);

Considérant que l'exclusion absolue et perpétuelle de toute survenance d'enfant et non révoquée, entraîne avec soi la volonté de se soustraire à l'obligation matrimoniale elle-même:

« conditio semel apposita et non revocata si sit de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum » (can. 1092);

Considérant que les particularités et circonstances qui ont précédé, accompagné et suivi la mariage doivent être examinées et discutées avec soin pour chaque cas particulier, afin de déterminer, s'il y a eu véritablement volonté exclusive de l'obligation matrimoniale.

En fait:

Attendu que H. Dont affirme dans son libelle adressé à Son Eminence, le 18 Décembre 1931: « Ce mariage est nul parce que E. Sopin, en contractant mariage, a eu la volonté formelle d'exclure tout enfant à jamais. C'était donc chez elle une condition *sine qua non* de son consentement »;

Attendu que dans sa déposition, le Demandeur confirme en tous ses termes le libelle introductoire;

Attendu que sa fiancée lui a très nettement signifié, avant le mariage, qu'elle ne voulait pas d'enfants et qu'elle n'en aurait pas, donnant comme raison une crainte insurmontable de mourir en couches;

Attendu qu'aux dites du Demandeur «c'était chez elle, une volonté définitive, absolue et perpétuelle;

Attendu que le Demandeur affirme qu'E. Sopin «s'engagea dans le mariage en excluant très nettement du contrat l'obligation pour elle de procréer, en lui refusant expressément tout droit sur elle pour lui donner une famille »;

Attendu qu'E. Sopin, «dès le premier jour a exigé qu'il prenne des précautions anticonceptionnelles »;

Attendu que toujours la jeune femme a pris ou imposé des précautions anticonceptionnelles et qu'elle n'a jamais varié dans sa volonté de ne pas avoir d'enfant;

Attendu que les témoins sont unanimes à dénoncer la volonté absolue et perpétuelle d'E. Sopin de ne jamais avoir pas même un seul enfant;

Attendu que tous rapportent les propos tenus par E. Sopin qui leur a parlé chaque fois d'une façon très explicite;

Attendu que l'exclusion absolue et perpétuelle était pour E. Sopin la condition même de son mariage;

Attendu que le Demandeur s'est marié pour avoir une famille avec le ferme espoir et la résolution de modifier la volonté de sa femme, au cours de la vie commune;

Attendu que les témoins entendus paraissent dignes de foi;

Par ces motifs, tout bien pesé et mûrement considéré; le Saint-Nom de Dieu invoqué;

Jugeant «collegialiter» conformément au canon 1577;

Disons, déclarons et prononçons:

Qu'il conste de la nullité du mariage dont s'agit.

Ainsi fait et jugé en la Chambre de l'Officialité archiépiscope de Paris, le 12 Août 1932;

Ont signé: N. Officialis

L. Iudex

L. Iudex

M. Def. Vinc.

N. Notarius.

Ego infrascriptus, Defensor Vinculi, de hac praecedenti sententia ad curiam Versaliensem appello.

Parisiis, die 12 Août 1932.

Signé: M. Def. Vinc.

PARS QUARTA

DE CAUSIS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

Sacra Congr. de disciplina Sacramentorum die 7 Maii 1923 Regulas servandas in processibus super matrimonio rato et non consummato edidit, ut Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant. Has regulas referre liceat in commodum ministrorum Curiae Episcopalis.

CAPUT I.

DE FORO COMPETENTI

1. Ad unam Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam (c. 249, § 3, et 1962).

2. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (can. 1963, § 1).

3. § 1. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emergerit probatio, omnia acta, una cum libello unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (can. 1963, § 2).

Attendu qu'aux dites du Demandeur «c'était chez elle, une volonté définitive, absolue et perpétuelle;

Attendu que le Demandeur affirme qu'E. Sopin «s'engagea dans le mariage en excluant très nettement du contrat l'obligation pour elle de procréer, en lui refusant expressément tout droit sur elle pour lui donner une famille »;

Attendu qu'E. Sopin, «dès le premier jour a exigé qu'il prenne des précautions anticonceptionnelles »;

Attendu que toujours la jeune femme a pris ou imposé des précautions anticonceptionnelles et qu'elle n'a jamais varié dans sa volonté de ne pas avoir d'enfant;

Attendu que les témoins sont unanimes à dénoncer la volonté absolue et perpétuelle d'E. Sopin de ne jamais avoir pas même un seul enfant;

Attendu que tous rapportent les propos tenus par E. Sopin qui leur a parlé chaque fois d'une façon très explicite;

Attendu que l'exclusion absolue et perpétuelle était pour E. Sopin la condition même de son mariage;

Attendu que le Demandeur s'est marié pour avoir une famille avec le ferme espoir et la résolution de modifier la volonté de sa femme, au cours de la vie commune;

Attendu que les témoins entendus paraissent dignes de foi; Par ces motifs, tout bien pesé et mûrement considéré; le Saint-Nom de Dieu invoqué;

Jugeant «collegialiter» conformément au canon 1577;

Disons, déclarons et prononçons:

Qu'il conste de la nullité du mariage dont s'agit.

Ainsi fait et jugé en la Chambre de l'Officialité archiépiscopale de Paris, le 12 Août 1932;

Ont signé: N. Officialis

L. Iudex

L. Iudex

M. Def. Vinc.

N. Notarius.

Ego infrascriptus, Defensor Vinculi, de hac praecedenti sententia ad curiam Versaliensem appello.

Parisiis, die 12 Août 1932.

Signé: M. Def. Vinc.

PARS QUARTA

DE CAUSIS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

Sacra Congr. de disciplina Sacramentorum die 7 Maii 1923 Regulas servandas in processibus super matrimonio rato et non consummato edidit, ut Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant. Has regulas referre liceat in commodum ministrorum Curiae Episcopalis.

CAPUT I.

DE FORO COMPETENTI

1. Ad unam Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam (c. 249, § 3, et 1962).

2. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (can. 1963, § 1).

3. § 1. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emergerit probatio, omnia acta, una cum libello unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (can. 1963, § 2).

§ 2. Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes iuxta normas hęc positae, eadem compleantur et acta dein plene instructa ad H. S. C. remittantur.

4. Pariter si in iudicio in prima aut in altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex. gr. ex defectu consensus, ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri, vel utrique parti, libellum porrigere Romano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at quin preces ad hanc Sacram Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas iudici, vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi iuxta *Regulas* hęc determinatas.

CAPUT II.

DE SUPPLICI LIBELLO AD PETENDAM DISPENSATIONEM

5. § 1. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (can. 1973).

§ 2. Pro singulari natura huius processus, quem moderantur hae *Regulae*, congruit ut coniux dispensationem efflagitans, non *actoris*, sed *oratoris* nomine nuncupetur; coniux vero ab altero coniuge in causam vocatus, proprie *pars conventa* appellabitur, nisi et ipse cum alio dispensationem petat.

6. § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, contineat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Constit. *Dei miseratione*, n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, nec non dioecesi in qua orator aut oratores commorantur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem ab ipsa parte, si fieri potest, scripto exaratam et subscriptam (cfr. in Appendice, n. I).

7. Quamvis cuilibet fidei integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

8. § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi-domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet (can. 1964).

§ 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces acceptare valet et commendare apud hanc Sacram Congregationem, praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant.

9. § 1. Ordinarius, ut informationem addat cum factorum sufficienti cognitione, potest investigationes facere in res et personas, sed non propriam inquisitionem cum partium aut testium interrogationibus in forma processus iudicialis (cf. in Appendice, n. II).

§ 2. Si contingat dispensationem peti a parte acatholica, Ordinarius petitionem ad hanc Sacram Congregationem aequè remittat; additis tamen necessariis et opportunis explicationibus de petitionis fundamento, de oratoris qualitatibus personalibus, aliisque adiunctis ad rem facientibus.

10. § 1. Curet Ordinarius, cum factorum et personarum sufficientem notitiam habuerit, ut partes inter se reconcilientur, ne abruptatur coniugale consortium, adhibitis prudentiae et pastoralis caritatis officiis et argumentis in casu magis opportunis; nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum prorsus inutile esse suadeant (cf. in Appendice, n. II).

§ 2. Nedum Ordinarii ad hoc utiliter parochorum operam adhibeant, sed parochi ipsi cum huiusmodi discordiarum aut difficultatum vitae coniugalis notitiam habeant, prouti in singulis casibus prudentia suggesserit, opportune consilia praebeant et exhortationes, ne aditus aperiatur dissolutioni consortii coniugalis.

11. § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus, iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges omnimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci.

§ 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam

esse daturum, tunc iudex rem deferat ad hanc Sacram Congregationem.

12. Si, accepto libello, haec Sacra Congregatio censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, qui oratorem commendavit, dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta has *Regulas* et cum clausulis opportunis.

CAPUT III.

DE TRIBUNALI CONSTITUENDO

13. Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta matrimonii inconsummatione, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibendo ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam, quoscumque maluerit, eligendo et assumendo, nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (can. 1607, § 1).

14. Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi, expressis nominibus coniugum, de quorum matrimonio causa agitur, et relatis instructionibus, si quae ab hac Sacra Congregatione datae fuerint.

15. Eodem vel altero actu, scriptis pariter confecto, Ordinarius deputet defensorem vinculi et actuarium, qui iis dotibus praediti sint quae in iure requiruntur (can. 1589, § 1); nisi extraordinarios ministros constituendos mandaverit ipsi subdelegato, qui, secus, uti debet ministris Curiae dioecesanae (can. 1607, § 2; cf. in Appendice, n. V).

16. § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus, eam non suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae et curatellae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum vel procuratorem egerit, ad praescriptum can. 1613, § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor vinculi (can. 1613, § 2).

17. § 1. Ordinarius qui ob legitimam suspicionis exceptionem causam instruendam non suscepit, debet vel iudicem subdelegare,

si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad hanc Sacram Congregationem remittit (can. 1614, §§ 1 et 2).

18. In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex, ad normam n. 15, alios viros aequae idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu quo primi electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportunum erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

19. Excepto Episcopo, quando per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

CAPUT IV.

DE OFFICIO IUDICIS ET TRIBUNALIS MINISTRORUM

20. Iudicis est, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, inquisitionem iudicalem instituere super asserta matrimonii inconsummatione, iuxta *Regulas* hae traditas. Inquisitio versari debet circa omnia quae inconsummationem probant vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: a) utriusque coniugis iurata confessio; b) testes septimae manus ex utroque latere, nec non testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat; c) inspectio corporum per peritos facta; d) authentica documenta, etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; e) indicia et praesumptiones.

21. Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit: a) tribunal convocare et sessiones indicere; b) vinculi defensorem, partes et testes citare, ut in iudicium compareant; c) peritos medicos et obstetrices, audito vinculi defensore, designare, si inspectio corporalis facienda sit; d) partes, testes et peritos, tum quaesita a

vinculi defensore confecta, tum nova ex officio proposita adhibendo, interrogare; e) atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

22. § 1. Petitiones partis oratricis aut partis conventae, quibus instatur pro testium productione aut interrogatione aut alia probatione obtinenda, aut quocumque alio actu processuali conficiendo, iudex admittet aut reiiciet, audito defensore vinculi, suo decreto, in quo, si rei gravitas ferat, explicabit breviter rationes admissionis aut reiectionis (can. 1840, § 3).

§ 2. Pars, quae iudicis decreto se laesam sentiat, potest iudicem adire ut decretum revocet aut corrigat (can. 1841); at appellationi nullimode datur locus, salvo tamen recurso ad Ordinarium, nisi ipsemet sit iudex.

23. Si quando pars aut testes examinandi sint alienae dioecesis vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut, constituto tribunali, partem ac testes citet, examinet et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore vinculi, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (can. 1570, § 2; 1770, § 2, n. 3). Ordinarius hae de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta, per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

24. § 1. Pars vel testes, qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum ita dissitis a tribunalis sede ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice instructore, defensore vinculi et actuario adiri possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi parti vel testi propior sit (can. 1770, § 2, n. 4).

§ 2. Huic cum litteris delegationis transmitti debent interrogationes faciendae et instructiones ad rem opportuna. Delegati autem erit, pro facultate in litteris expresse facta, sibi adseiscere duos ministros, quorum unus defensoris vinculi munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alter actuarii, qui et laicus esse potest, dummodo probatae fidei, ut examen huius partis vel testis legitime perficiatur et in actis redigatur.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram actuario praestare debet,

et defensor vinculi et actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adseiscat in munere defensoris vinculi, id notet in actis et ipse ex officio faciat interrogationes aut alia animadvertat: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuarii munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex actum exceptae attestationis, cum debitis notis, redigat.

25. Iudex, ut aequae aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vocatorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat*, et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeantur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda; et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice, nn. XI-XIV).

26. Si acciderit partem conventam vel testem inductum a parte, vel ex officio vocatum, aut peritum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium, et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de contumacia agatur, haec declaretur (can. 1843) et in actis apposita documenta referantur (cf. in Appendice, n. XXV). Si vero quis examini subiiciendus e vita migraverit, mortis documentum inter acta recenseatur, nisi aliter de eius morte satis constet.

27. § 1. In processu de matrimonii inconsummatione et de causis ad dispensationem super rato adductis, requiritur praesentia vinculi defensoris; eoque non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587, § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non interfuerit, acta quidem valent, verum postea eius examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverit (can. 1587, § 2).

28. Defensoris vinculi officium est: a) examini partium, testium et peritorum adesse; b) exhibere iudici interrogatoria clausa et ob-signata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus, testibus aut peritis proponenda; c) novas interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere; d) articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; e) documenta a partibus exhibita recognoscere; f) animadversiones pro adstruenda matrimonii consummatione scribere et allegare; g) eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (can. 1968).

29. Defensoris vinculi ius esto: *a)* semper et quolibet causae momento acta processus invisere; *b)* novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; *c)* de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiores fieri, ut contradicendi facultate uti possit; *d)* petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso, novasque animadversiones edere; *e)* exigere ut alia acta, quae ipse suggererit, conficiantur, nisi iudex dissentiat; quo in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere fas est vinculi defensori (can. 1969).

30. Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis intendere, acta fideliter custodire ne cuiuspiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

31. Tam index instructor quam defensor vinculi curent ut pars vel testis vel peritus interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque parti aut testi aut perito difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo responsio faciliior et plenior evadat.

32. Fas erit iudici, audito vinculi defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum coadiuvet in scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

CAPUT V.

DE INITIO PROCESSUS ET DE CITATIONIBUS FACIENDIS

33. § 1. Si omnia expleri non possunt unica sessione, processus in sessiones dividitur; videlicet, quoties tribunal a iudice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habetur.

§ 2. De decreto iudicis quo sessio clauditur et alia vel tunc indicitur vel erit opportuno tempore indicenda, nisi instructio causae sit absoluta, mentio in actis facienda est.

34. § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a)* litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b)* litteras Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium

subdelegat; *c)* deputationem defensoris vinculi et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis, vel iam factam, vel in hac sessione faciendam; *d)* electionem officialium substitutorum; *e)* supplicem libellum oratoris inquisitionis introductorium; *f)* denique praestandum est iusiurandum, ad tramitem n. 19 (cf. in Appendice, nn. VI-IX).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta, vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiat: quod non contingere solet; quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficienda. Conventus autem habetur die et loco determinatis in superiore proxima sessione; nisi iudex maluerit statuere ut sessio habeatur die et loco dein determinandis et indicendis.

35. Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum qui examini est subiiciendus, itemque defensorem vinculi et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint, ut in n. 34, § 2 (cf. in Appendice, nn. X et XXII).

36. Citatio parti et testi fit per litteras in modum invitationis, tamen praeceptive; quae litterae contineant: *a)* praeceptum iudicis ad comparendum; *b)* nomen, cognomen et domicilium illius qui in ius vocatur; *c)* iudicem coram quo comparere iubetur; *d)* locum et horam audientiae; *e)* causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus verbis indicatam (can. 1715, § 1); *f)* iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice, n. XV).

37. Citatio clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private et personaliter intimanda. Altera citationis scheda asservatur in actis (can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et condiciones, tutissimus sit (can. 1719). Cursor si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae, manu propria subsignatis, ad iudicem referat (cf. in Appendice, n. XVI); si vero intimatio facta fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur fides eiusdem officii.

38. § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi commoretur pars conventa aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per

tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (can. 1720; cf. in Appendice, n. XXIII).

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex an renovanda sit citatio (can. 1843, § 2), vel aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, ut foret interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coërcitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an partis vel testis non comparitio seu contumacia, per alios testes, de re, circa quam illi interrogati fuissent, edoctos, suppleri possit.

CAPUT VI.

DE IUREIURANDO A PARTIBUS, TESTIBUS ET PERITIS PRAESTANDO, ET DE INTERROGATIONIBUS IISDEM FACIENDIS

39. Iudex, antequam cuiuspiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto s. Evangeliorum libro (cf. in Appendice, nn. XVIII et XXIX). Si citatus suas attestations sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestations esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

40. Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in Decreto adnotantur; item, si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae qui falsum in iudicio iurati affirmant. Poenas contra iurisiurandi violatores sunt: a) interdictum personale, si periurus sit laicus; b) suspensio, si clericus (can. 1743, § 3). Has tamen poenas iudex ne ferat inconsulto Ordinario.

41. Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor vinculi et notarius seu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo qui eius locum tenet, faciendae

sunt. Quapropter si a defensore vinculi novae interrogationes testi faciendae sint, has non testi, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponere debet, ut eas ipse deferat (can. 1773, §§ 1-2).

42. Interrogationes proponendae dividuntur in *generales* et *particulares*: priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum partibus in causa; hae semper et omnibus indistincte sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa factum inconsummationis et causas dispensandi. Praeterea a teste semper exquirenda est scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea quae asserit, habeat cognita (can. 1774).

43. § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, non plura complectentes, pertinentes ad causam de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (can. 1775).

§ 2. Partes et testes et periti oretenus responsiones reddant. Ne praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi in aliquo casu particulari iudex opportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adjuvare valeat (can. 1776-1777).

44. § 1. Partis, testis et periti responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (can. 1778).

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero quo notantur relativa interrogatoria; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum referet.

45. Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iurisiurandi praestationem, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina expleantur (can. 1779).

46. Parti et testi et perito, antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis quae viva voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem parti et testi et perito facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is respon-

derit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat (cf. in Appendice, n. XX), et deinde depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor vinculi et actuarius (c. 1780, §§ 1-2).

47. § 1. Pars oratrix aut conventa poterit iterum ad examen vocari vel ad instantiam partis aut defensoris vinculi, vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore; et partes etiam poterunt inter se *conferri* (vulgo *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes et periti poterunt, partibus aut defensore vinculi id postulantibus, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito vinculi defensore, denuo ad examen vocari, et circa iam attestata, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (can. 1772, §§ 2-3).

§ 3. Quoties id expostuletur a partibus, iudicis est suo decreto, audito vinculi defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere, cauto, si admittat, quod potissimum omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (can. 1781).

§ 4. Cum pars vel testis vel peritus novo examini submittitur, eadem servantur, congrua congruis referendo, quae de partium et testium examine infra edicuntur n. 68, § 2, et 69.

48. In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis quae fiunt aut decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum a partibus, testibus et peritis praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt.

49. Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, latine reddantur ad verbum. Item acta quae lingua latina, italica aut gallica redacta non sint, in unam ex iis linguis authentice vertantur. Si ad versionem faciendam interpret foret adhibendus, is a iudice, audito vinculi defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXI).

CAPUT VII.

DE EXAMINE PARTIUM

50. § 1. Primo ille coniux audiatur, qui supplicem libellum porrexit et est veluti actor in causa. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore vinculi concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio*, si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius exponendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina inspiciantur.

§ 2. Si uterque coniux dispensationem efflagitet, opportunum, ut plurimum, est uxorem antea examini subiicere, et in examine erunt praecipue diligenter perquirendae rationes ob quas ambo coniuges in dispensatione efflagitanda consentiunt et concordant.

§ 3. Quia his in adiunctis maxime pertimescenda est collusio, veritas sedulo perquirenda erit per testes *ex officio* inducendos.

51. Uxori, oratrici vel conventae, post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur (cf. in Appendice, sub n. XIX).

52. Item viro, oratori vel convento, eadem interrogationes proponi poterunt, quibus aliae, pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiciendae erunt (cf. in Appendice, sub n. XXIV).

53. Cum uxor virum de impotentia, sive absoluta sive relativa, insimulet, tunc a viro expetatur ut sese submittat corporali inspectioni, ad normam sacrorum canonum et harum *Regularum*, n. 84.

54. Nisi certo aliunde constet, nunquam praetermittenda est interrogatio parti facienda, ut referat quando et a quo didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi.

55. § 1. Parti quae secundo loco interrogatur, si eius responsiones in pluribus et notabiliter discrepent a responsionibus alterius coniugis, erunt a iudice novae *ex officio*, vel ad instantiam defensoris vinculi, proponendae interrogationes, ad difficultatem et dubitationem diluendam, facta vel minus mentione coniugis contradicentis, prouti casus ferat et prudentia suggerat.

§ 2. Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito vinculi defensore, *ex officio* vel instante altero coniuge aut vinculi defen-

sore, partem ad novum examen vocare ad praescriptum n. 47, in quo novae interrogationes seu contestationes proponuntur.

§ 3. Si responsiones in novo examine exceptae rem non undequaque expediant, sed viam videantur aperire ulteriori veritatis investigationi, altera parte quae primo loco fuit interrogata iterum ad examen vocata, eidem in contestatione ponantur responsiones ab adverso coniuge redditae, non exclusa collatione partium inter se et firmo praescripto n. 47.

56. § 1. Iudex nunquam omittat interrogare partes circa existentiam causae ad impetrandam dispensationem invocatae.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verosimiliter praesumantur.

57. § 1. Antequam finiatur examen et praestentur quae statuuntur n. 46, iudex a parte petat ut producat testes septimae manus; et alios etiam, si quos habeat, de petita dispensationis obiecto instructos.

§ 2. Sedulo quaerendum est a parte, quoties alter coniux sit contumax, ut indicare velit testes qui cum sint de istius familia aut vicinia aut eius res domestica cognoscant, probabiliter utile testimonium praestare valeant.

CAPUT VIII.

DE TESTIUM PRODUCTIONE ET ALIIS PROBATIONIBUS AD REM FACIENTIBUS

58. In his causis, debet uterque coniux testes, qui *septimae manus* audiunt, inducere, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem deductam in controversiam (can. 1975, § 1).

59. Testimonium septimae manus, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet. Quod si tot testes haberi nequeant, sufficere poterunt pauciores; ratio tamen in actis referenda est, cur septenarium numerus haberi non potuerit.

60. § 1. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis, quod robur addit depositionibus coniugum, sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (can. 1975, § 2).

§ 2. Testes septimae manus, quatenus sunt de credibilitate, eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex coniugibus aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra, n. 70), didicisse matrimonium mansisse inconsummatum.

61. Testibus septimae manus iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes septimae manus vel a parte non inducantur, vel tres tantum aut quatuor inducantur, vel ad rei veritatem illustrandam, etsi septem vel plures ab utraque parte producantur, insufficientes sint.

62. Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur, alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valent.

63. § 1. Si partes, aut earum altera, petant sibi pandi nomina testium ab adversa parte aut *ex officio* productorum, iudex, audito vinculi defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iudicis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem postquam testes suam reddiderint attestationem.

64. § 1. Argumentum ex corporis mulieris inspectione deductum, per se, semper requiritur, nisi ex adiunctis inutile evidenter appareat (can. 1976; cf. infra, sub n. 85), vel aliunde haberi non possit, prouti si mulier sit vidua aut corrupta.

§ 2. Quod si pars, non obstante iudicis decreto, absolute renuat inspectioni se subiicere, ex adiunctis aestimandum erit cuiusnam causae attribuenda sit haec recusatio; et utrum huius probationis defectui suppleri debeat per alia argumenta seu probationes.

65. Praeter argumentum physicum, quod natum est complere probationem per partium confessionem et per testes septimae manus aliosque testes exhibitam, adsunt quoque argumenta et adminicula; et argumentis accensemus documenta; adminiculis, indicia et praesumptiones.

CAPUT IX.

DE EXAMINE TESTIUM SEPTIMAE MANUS

66. Inchoatur horum testium examen ab iis qui inducti sunt a parte oratrice, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi, postea audiantur extranei, uti famuli et viciniore, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, servetur n. 26; si vero eo, ubi tribunal adunatur, se conferre non possit, audiat iuxta normas nn. 23 et 24.

67. In his testibus examinandis iudex, delato iureiurando et factis interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes sibi a vinculi defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in Appendice, specimine n. XXVII.

68. § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae a coniuge qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert quae verosimiliter coniux non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, ex parte legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositae interrogationes *ex officio*, vel curandi ut a defensore vinculi opportuna contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 47.

69. Expleto examine, legitur testi integra depositio, rogatur an menti suae plene respondeat, et, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 46, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor vinculi et actuarius.

70. In his testibus excutiendis, maxime curandum est, ut si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur unde, quomodo, quando haec didicerint, ut pateat an tempore non suspecto ea cognita habuerint (can. 1774). Causam enim valde iuvant partium confessiones extraiudiciales tempore

non suspecto prolatae; eo nempe tempore, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

CAPUT X.

DE TESTIBUS, PRAETER ALIOS SEPTIMAE MANUS,
AD INSTANTIAM PARTIUM
VEL « EX OFFICIO » A IUDICE INDUCENDIS

71. § 1. Cum proprium sit testimonii septimae manus ut sit argumentum credibilitatis (can. 1975, § 2), quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore, aut hoc instante; vel ad instantiam partium.

72. Quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, vel ipsum testimonium septimae manus insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur, citandi sunt testes *ex officio*.

73. Quod si argumentum physicum impotentiam neque probet neque excludat, aut physicam mulieris integritatem non adesse arguat, sed non excludat laesiones potuisse aliunde oriri quam ex naturali matrimonii usu, tunc expendat iudex an sit locus complemento probationum aut per testes aut per alia argumenta.

74. Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, sunt a defensore vinculi concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici autem fas est, alias interrogationes *ex officio* proponere.

CAPUT XI.

DE INSTRUMENTIS

75. Redditas attestationes magis explicant, quatenus res ferat, et corroborant instrumenta. Haec, alia sunt *publica* et alia *privata*. In his causis inter instrumenta publica potissimum habetur fides authentica celebrati matrimonii, e parociae registis deprompta,

quoties haec in causae instructione requiratur. His accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta privata communiter sunt epistolae a coniugibus inter se vel ad alios datae, et scriptae attestations in favorem unius vel alterius partis exaratae.

76. Utriusque generis documenta aliquando partes sponte exhibent, sed aliquando iudicis erit ex auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare. Si pars aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito vinculi defensore, vel eo postulante, decreto suo statuatur an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit (can. 1824).

77. § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem, perinde ac attestatio seu confessio extraiudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 70.

78. Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris vinculi aut partium, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

CAPUT XII.

DE INDICIIS ET PRAESUMPTIONIBUS

79. § 1. Matrimonium non praesumitur mansisse inconsummatum; quare in singulis casibus allegata causa inconsummationis sedulo investiganda est.

§ 2. Factum vero cohabitationis coniugum *praesumptionem iuris* constituit de secuta consummatione (can. 1015, § 2).

80. Matrimonii inconsummatio ex sequentibus causis impediens, ut plurimum, procedere solet: a) ex defectu veri consensus in matrimonium; b) ex vi et metu; c) ex aversione et odio in ipso vitae coniugalis initio exortis inter sponsores; d) ex impotentia, sive absoluta sive relativa.

81. Externa vitae coniugalis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsummationis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesum-*

ptionibus appellatur. Indicia et praesumptiones sunt *levia, gravia et gravissima*, pro minore vel maiore cum inconsummationis causa necessitudine.

82. Facta vero et circumstantiae, quae unam vel alteram ex causis n. 80 recensitis indicant, praesumptionem faciunt in favorem inconsummationis.

83. Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae inconsummatio tribuenda sit. Res est magni momenti, cui omni cura adlaborandum est; facta enim et circumstantiae quae unam alteramve ex praefatis causis indicant et determinant, probationes iam aliunde collectas valde corroborant.

CAPUT XIII.

DE INSPECTIONE CORPORALI

84. § 1. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit perducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tute adstruendum factum inconsummationis, non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio.

§ 3. Hisce in casibus si vir renuat se inspectioni subicere, probabiles rationes huius recusationis sunt in actis referendae, et suppletoriae probationes, si haberi possint, erunt comparandae.

85. In casu dubii de corporali inspectione facienda aut omitenda, decisio spectat ad iudicem, audito vinculi defensore, salvo iure defensoris vinculi se opponendi decreto, ad tramitem nn. 22 et 28.

86. Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus: a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; b) si certo iam constet de mulieris defloratione (can. 1976).

87. Iudicis est peritos, medicos aut obstetrices eligere vel designare, audito vinculi defensore (cf. in Appendice, n. XXVIII).

Ii prae ceteris eligantur, qui non tantum idoneitatis testimonium a competente magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suae experientia insignes habentur, et honestatis ac religionis fama praeferunt. Qui non habiles ad testimonium ferendum sunt iuxta can. 1757, nec ad periti munus exercendum assumi possunt. Item nec assumantur, qui in adiunctis versantur in can. 1613, § 1, adnotatis, si nempe ob consanguinitatem vel affinitatem cum partibus, aut propter amoris vel odii sensus erga partes easdem, aut etiam ob commodum vel incommodum sibi obveniens ex causae decisione, suspicio de eorum probitate in iudicio vel voto ferendo oriri possit.

88. Ad periti munus exercendum etiam illi ne admittantur, qui coniuges private inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis inconsummationis. Licet tamen et congruit hos tamquam testes inducere (can. 1978); nunquam tamen praetermittatur, quatenus fieri possit, eorum scriptas attestaciones referre inter instrumenta.

89. § 1. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut loco obstetricum, a duobus medicis, pariter *ex officio* designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, audito vinculi defensore, praecipue ob aliquod dubium fraudis, scilicet quod praesidia artis adhibita sint ad reparandas partium laesiones (can. 1979, §§ 1-2).

§ 2. Quod si, ob singulares locorum circumstantias, impossibile vel valde difficile aliquando fuerit, ut duae peritae obstetrices aut duo medici reperiantur, tolerari poterit ut inspectio fiat ab uno perito et ab una obstetrice (cfr. *Instr. S. C. S. O.*, a. 1883, *Quemadmodum matrimonii foedus*, tit. VI, art. 5, n. 49). Si, ob easdem circumstantias, neque hoc obtineri valeat, tolerari etiam poterit ut inspectio fiat a duabus matronis seu mulieribus nuptis, moribus et aetate gravibus, et ad rem idoneis. Quoties peritia a duabus matronis, uti supra, peracta fuerit, curandum erit ut earum relationes examinandae subiiciantur uni vel duobus in arte peritis, ibidem vel alibi commorantibus, ut suum proferant votum circa conclusiones ex matronarum relationibus deducendas.

90. In inspectione mulieris, sive ea a peritis medicis, sive ab obstetricibus fiat, sequentia observanda sunt: a) plene servantur christianae modestiae regulae; b) adstet semper honesta matrona, *ex officio* designanda; c) inspectionem exsequantur seorsim singuli, vel singulae; d) in exploratione honesta quidem methodus et cau-

tela adhibeantur, prout scientia ac prudentia opportune suggererit; et de iis quae adhibita sint, mentio in relationibus fiat; e) pariter singuli vel singulae seorsim conficiant relationes intra terminum a iudice praefinitum tradendas; f) relationes sive a medicis sive ab obstetricibus confectas, iudex alterius medici examini subiicere potest, si id opportunum existimaverit (can. 1979-1980).

91. In matronam eligatur mulier aetate gravis, religione et honestate spectabilis, corruptioni et deceptioni non facile obnoxia, quae, praestito iureiurando, officii sui partes eiusque gravitatem intelligat, ac de eo rite functo, coram tribunali relationem reddere valeat (cf. in Appendice sub n. XXIX).

92. Ratio exsequendae inspectionis haec erit. Iudex locum designat, in quo ea est peragenda, et mandabit quod mulier prius balneo subiiciatur, servatis suetis conditionibus aquae tepentis, et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet. Quod si designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile, vel potius nocivum, iudex perpensis adiunctis, rem definiat, audito defensore vinculi, prout in casu magis expedire iudicaverit. Periti autem expleant suum examen, ut distincte referre valeant de singulis signis quae mulieris integritatem inferre sinunt, vel potius eidem refragantur; in id etiam caute advertentes, ne apparens integritas callide, medicinalis artis ope, fingi potuerit.

93. § 1. Periti, medici aut obstetrices, suam seorsim scriptam relationem peragant (cf. n. 90, e) circa conclusiones ex inspectione deductas, et postea erunt singuli a iudice interrogandi, iuxta interrogationes seu articulos a defensore vinculi antea concinnatos, iisque ipsi, praestito iureiurando, respondeant; et examen absolvatur servato praescripto n. 46. Vinculi autem defensor peculiare articulos et interrogationes praesertim eruat ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis (can. 1981; cf. in Appendice, nn. XXX et XXXII). Periti vero perspicue indicare debent qua via et ratione processerint in peragenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (can. 1801, § 3).

§ 2. Quod si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando reperirent, sive in conclusione finali, iudex poterit relationem unius periti submittere iudicio alterius, ut explicet ex quo repetenda sit contradictio; et, si casus ferat, etiam permittere poterit ut inspectio fiat collegialiter et votum collegiale habeatur, sed deinde seorsim periti interrogentur (cf. can. 2031, n. 5); nisi idem iudex peritiorem eligere magis expedire iudicaverit, qui super relatis a primis peritis suffragium proferat, facta ei quoque, si casus ferat, potestate inspe-

ctionem denuo peragendi; aut novos de integro peritos adhibere (cf. can. 1802 et 1803).

94. Postremum in iudicio vocanda erit matrona, quae inspectioni adstitit, et, delato iureiurando, ad rem interrogetur (cf. in Appendice, n. XXXI).

95. Ad inspiciendum virum, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979, § 1); qui, praestito iureiurando de munere fideliter implendo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXIX), monendi erunt, ut artis praesidiis utantur licitis et honestis, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur.

CAPUT XIV.

DE PROCESSUS CONCLUSIONE

96. § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius vinculi defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc auditis partibus.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente consideret, partium ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam incompleta et contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repperit, audito vinculi defensore, partes aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, apposis interogationibus, quae vel supplenda vel declaranda sunt exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat vinculi defensor, actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum *Regularum* (cf. in Appendice, n. XXXIII).

97. § 1. Clausa processus instructione, iudex neque ad ipsius processus publicationem, neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat (can. 1985).

§ 2. Nihilominus si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, audito defensore vinculi, necnon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis; de publicatione autem processus aut alicuius partis, expressa mentio in actis facienda erit.

98. § 1. Clauso processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debeat, in primis animadvertens an *Regulae* hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde acta omnia, una cum voto scripto Episcopi (canon 1985), vel, sede vacante, Vicarii capitularis vel Administratoris apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices facientis (can. 429 et 431), et defensoris vinculi, transmittantur ad hanc Sacram Congregationem.

99. Praesentes *Regulae* in instruendis processibus de non consummatione semper erunt adamussim observandae, et si aliquando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de huius rei motivo rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

100. Harum *Regularum* observantia Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum est, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito vinculi defensore, remove. Si quando his remediis fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

101. § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642), transmittantur ad hanc Sacram Congregationem in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad Sacram Congregationem transmittere, fas sit Curiae transmittere ipsa acta originalia, iis tamen cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

CAPUT XV.

DE RESCRIPTO PONTIFICIAE DISPENSATIONIS EIVSQUE EXPEDITIONE

102. Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab E.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, vel ab alio E.mo Cardinali eius

vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem Sacrae Congregationis subsignatum.

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsummationem, tum quoad dispensationis causas (can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, paroco tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

L. ✠ S.

M. CARD. LEGA, *Praefectus*.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QUAE UTILITER
ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS

I.

SUPPLEX LIBELLUS UXORIS ORATRICES

Beatissime Pater,

N. N., filia..., e dioecesi..., civitate..., annos nata..., conditione..., domicilium habens in civitate..., via..., sub paroecia..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit:

Die ..., mense ..., anno ..., oratrix, tunc annum agens ..., praemissis denunciationibus a iure statutis ac ritu civili, matrimonium, in paroeciali ecclesia ..., cum N. N., filio ..., e dioecesi..., et civitate..., tunc annorum..., professione..., rite contraxit.

Sed hoc matrimonium, contra oratricis ingenium, ad exitum perductum fuerat ab eius matre, quae omnem movit lapidem ut filiae animum sibi conciliaret; et cum nullum ab eiusmodi nuptiis daretur effugium, oratrix ad matrimonium celebrandum accessit, sperans fore, ut sensim sine sensu amor erga virum enascetur.

At spem fefellit eventus, nam, coniugali consortio vix instituto, vir pravam indolem pandidit, ideoque defectus amoris in aversionem prorupit. Quapropter quindecim ab inito matrimonio diebus elapsis, vir, oratrice relicta, ad paternam domum remeavit; postero autem die, ipsa, urgente matre, virum assequi debuit; cum quo tamen vix quinque diebus transactis, ad matrem reversa est, malens potius mori, quam cum eo intolerabilem vitam ducere.

Tum ex hoc capite vir separationem a civili tribunali petiit atque obtinuit. Oratrix vero, apprime sibi conscia de non secuta matrimonii consummatione, tum ob perversam viri voluntatem,

vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem Sacrae Congregationis subsignatum.

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsummationem, tum quoad dispensationis causas (can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, paroco tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

L. ✠ S.

M. CARD. LEGA, *Praefectus*.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QUAE UTILITER
ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS

I.

SUPPLEX LIBELLUS UXORIS ORATRICES

Beatissime Pater,

N. N., filia..., e dioecesi..., civitate..., annos nata..., conditione..., domicilium habens in civitate..., via..., sub paroecia..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit:

Die ..., mense ..., anno ..., oratrix, tunc annum agens ..., praemissis denunciationibus a iure statutis ac ritu civili, matrimonium, in paroeciali ecclesia ..., cum N. N., filio ..., e dioecesi..., et civitate..., tunc annorum..., professione..., rite contraxit.

Sed hoc matrimonium, contra oratricis ingenium, ad exitum perductum fuerat ab eius matre, quae omnem movit lapidem ut filiae animum sibi conciliaret; et cum nullum ab eiusmodi nuptiis daretur effugium, oratrix ad matrimonium celebrandum accessit, sperans fore, ut sensim sine sensu amor erga virum enascetur.

At spem fefellit eventus, nam, coniugali consortio vix instituto, vir pravam indolem pandidit, ideoque defectus amoris in aversionem prorupit. Quapropter quindecim ab inito matrimonio diebus elapsis, vir, oratrice relicta, ad paternam domum remeavit; postero autem die, ipsa, urgente matre, virum assequi debuit; cum quo tamen vix quinque diebus transactis, ad matrem reversa est, malens potius mori, quam cum eo intolerabilem vitam ducere.

Tum ex hoc capite vir separationem a civili tribunali petiit atque obtinuit. Oratrix vero, apprime sibi conscia de non secuta matrimonii consummatione, tum ob perversam viri voluntatem,

tum ob defectum amoris, imo aversionem ipsius oratricis, ad pedes Sanctitatis Vestrae confugit, Apostolicam dispensationem super matrimonio rato et non consummato misericorditer implorans.

Rationes autem ad petendam dispensationem sunt: 1^a invincibilis oratricis aversio erga virum, absque ulla spe reconciliationis; 2^a incontinentiae periculum, attenta eius iuvenili aetate; 3^a desiderium transeundi ad alias nuptias, eidem nuper oblatas.

Et Deus, etc.

Datum ..., die ..., mensis ..., anno ...

N. N.

(Subscriptio, si fieri potest, manu ipsius oratricis).

Si libellus detur a viro, similiter exaratur, mutatis mutandis, genuina peracta factorum expositione.

II.

LITTERAE ORDINARIJ AD PAROCHUM,
VEL AD ALIUM IN CASU MAGIS IDONEUM,
PRO INFORMATIONE ET CONIUGUM RECONCILIATIONE

Rev. mus Ordinarius N., adnexum libellum N., uxoris oratricis, transmitti iubet ad Rev. mum N., parochum N., eique committit ut reconciliationem oratricis cum coniuge N., pro viribus et pastoralis prudentia, per se aut per alium, curet. Quatenus vero praefati coniuges ad concordiam adduci nequeant, idem parochus distincte instructam hanc Curiam reddat de antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus matrimonii celebrationem, nec non de causis petita dispensationis matrimonii inter eos initi; ac simul de probitate et credibilitate tum viri tum uxoris: et congruit ut allegetur fides de huius matrimonii celebratione ex integro, prout iacet in regesto matrimoniorum.

Interim, etc. Die ...

L. ✕ S.

N., Vic. Gen.

N., Curiae Ep. cancellarius.

Si forte parochus non expediat dare mandatum reconciliationis coniugum, alii personae prudenti et idoneae (si fieri queat, sacerdoti) committi potest.

III.

RESPONSUM PAROCHI, SI PARTES RECONCILIATIONEM RENUANT

Ill. me ac Rev. me Domine,

N. (mulierem, si eam antea interrogari expediat), antea alloqui curavi, quae sui matrimonii vicissitudines exposuit, et suam valetudinem coniugali convictu labefactari, necnon necessitatem dissolvendi matrimonii monstravit. Post eam allocutus sum virum, qui ad cohabitationem restaurandam se paratum exhibuit, sed omnino desperat, ob uxoris pervicaciam.

In reconciliatione non ulterius insistendum censui, cum matrimonium saltem absque amore ex parte mulieris initum videatur, ac verisimilis sit inconsummatio, et aliunde periculum incontinentiae exstet ex parte oratricis, quod ut gravis causa pro dispensatione adducitur. Ex percontationibus peractis, de probitate et credibilitate utriusque coniugis satis constare videtur, ita ut fides eorum assertionibus praestari possit.

Praesentibus allegatur testimonium de celebratione matrimonii dictorum coniugum, in authentico exemplari.

Datum ex paroecia N., die ...

L. ✕ S.

Obsequentissimus subditus

N.

IV.

INFORMATIO ORDINARIJ AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM
ET PETITIO FACULTATIS CONFICIENDI PROCESSUM

E. me ac Rev. me Domine,

Transmitto ad Em. Vestram Rev. mam adnexum libellum, quo mulier N. dispensationem implorat matrimonii ab eadem contracti cum N., utpote tantum rati; ac simul transmitto documenta (ut informationem parochi et alia quae habeantur), necnon testimonium de celebratione matrimonii, ex quibus colligi potest oratricem fidem mereri. Quapropter cum libellus fundamento niti videatur, illum commendo, humiliter postulans, ut, quatenus E. V. visum fuerit, facultas mihi tribuatur conficiendi processum super eiusmodi ma-

trimonio, quod contenditur ratum et non consummatum, facta expressa facultate subdelegandi.

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum ..., ex Curia Episcopali, die ...

L. ✠ S.

Addictissimus famulus

† N., Episcopus.

N., Curiae cancellarius.

V.

ACTUS SUBDELEGATIONIS PERACTAE AB ORDINARIO
ET DEPUTATIONIS OFFICIALIUM

Cum E.mus ac Rev.mus Dominus ..., S. R. E. Card., Praefectus S. C. de disciplina Sacramentorum, litteris datis die ..., Nos instructos fecisset de mandato ab eadem S. C. Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, praesertim *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, super asserta inconsummatione matrimonii contracti ab N. cum N. ..., et causis petitaee dispensationis, expresse addita potestate subdelegandi; Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum Iudicem subdelegamus Rev.mum D. N., qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis I. C. et iuxta citatas *Regulas*, necnon iuxta peculiare instructiones a S. C. in praefatis litteris datas. Simul autem eligimus ac deputamus: Defensorem vinculi R. D. N. Actuarius R. D. N.

Datum ... ex aedibus Nostris, die ... mensis ... anno ...

L. ✠ S.

† N., Episcopus.

N., Cancellarius.

Si gravitas causae vel alia difficultas id suadeat, eodem decreto, vel in causae decursu, simili forma eliguntur qui vice iudicis subdelegati fungatur, necnon defensor vinculi et actuarius substituti.

VI.

TRIBUNALIS CONSTITUTIO

DIOECESIS N.

DISPENSATIONIS MATRIMONII N. N.
QUOD CONTENDITUR RATUM ET NON CONSUMMATUM

Sessio I.

Anno Domini ..., mense ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., adsunt:

Iudex subdelegatus Rev.mus D. N.

Defensor vinculi Rev. D. N.

Actuarius Rev. D. N.

Rev.mus Iudex communicat:

1) Litteras S. C. de disciplina Sacramentorum, datas die ..., quibus Ordinario N. committitur instructio processus in causa super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N.

2) Litteras Rev.mi Ordinarii N., datas die ..., quibus (*nisi ipse per se gerat suum munus*) subdelegat officium iudicis eidem Rev.mo D. N.; nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem vinculi Rev. D. N., et ut actuarium Rev. D. N.

3) Supplicem libellum N., uxoris oratricis, pro instituendo processu.

Tum Iudex instructor (*nisi sit ipse Episcopus*, cf. *Regulas*, n. 19) ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis quae exstant in Appendice *Regularum* S. C. (v. infra n. VII-IX).

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli intimetur viro, parti conventae, necnon ut idem libellus allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii.

Item Iudex constituit diem ..., horam..., et aedes ... pro tribunalis proximo conventu, in quo oratrix examini subiiciatur, mandans ut eadem citetur; ac D. N. deputat ut cursorem, qui schedas citationis afferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Rev.mo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.
Die et loco ut supra.

L. ✠ S.

N., Iudex subdelegatus.
N., defensor s. vinculi.
N., actuarius.

VII.

IUSIURANDUM PRAESTANDUM A IUDICE SUBDELEGATO

Ego N., a Rev.mo D.no Ep. N., subdelegatus iudex instructor (vel deputatus ut vices geram iudicis instructoris) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N., iuro me officium iudicis instructoris rite ac fideliter implerum, servatis, quantum per me fieri poterit, praescriptionibus C. I. C., ac potissimum *Regulis* a S. C. de disciplina Sacramentorum editis die 7 maii 1923, quavis personarum acceptione posthabita, et secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.

VIII.

IUSIURANDUM DEFENSORIS VINCULI

Ego N., a Rev.mo Domino Ordinario N. defensor vinculi legitime deputatus (vel defensor vinculi substitutus), pro instruendo processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N., iuro me munus mihi collatum diligenter et incorrupte expleturum, iuxta praescriptiones C. I. C. et *Regulas* a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum editas die 7 maii 1923: et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad matrimonii iura tuenda conferri poterunt, posthabito omni humano respectu; atque officii mei secretum religiose servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

IX.

IUSIURANDUM AB ALIIS OFFICIALIBUS PRAESTANDUM

Ego N., iuro me munus actuarii (seu actuarii substituti) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N., mihi ab Ill.mo et Rev.mo Domino Ordi-

nario N. commissum, rite ac fideliter, iuxta praescriptiones C. I. C. atque *Regulas* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923, in omnibus expleturum, et de rebus quas ratione mei officii cognoscam, secretum omnimode servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

X.

DECRETUM PRO CITATIONE UXORIS ORATRICE

Anno Domini ..., die ..., mensis ..., in aedibus palatii episcopalis ..., coram Rev.mo D. N. Iudice ..., Rev. D. N. defensore vinculi, meque infrascripto actuario:

Visis litteris S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., quibus R.mo Ordinario ... facultas tribuitur conficiendi processum super asserta inconsummatione matrimonii inter N. et N., et causis petitae dispensationis:

Attentis litteris Rev.mi Ordinarii ..., diei ..., quibus Rev.mum N. subdelegat ad eiusmodi processum instruendum;

Idem Iudex subdelegatus, audito vinculi defensore, ad examen uxoris oratricis procedendum esse decrevit; ideoque dictam uxorem citari mandat, ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via..., num. ..., anno..., mense..., die ..., hora ..., ut examen subeat in causa matrimoniali a se intentata.

Simul nuncium dat defensori vinculi, ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata, uxori oratrici proponenda; atque ut examini praefatae mulieris, loco, die et hora ut supra, intersit.

N., Iudex instructor.

L. ✠ S.

N., defensor vinculi.

N., actuarius.

De his quae mandat et iubet iudex, in actis actuarius refert; et hoc semel pro semper advertisse sufficiat.

Similiter, mutatis mutandis, conficitur decretum pro citationibus partis conventae ac testium.

Insuper Iudex mandat, ut interea a parochis tam uxoris oratricis, quam viri conventi, ac testium qui sunt excutiendi, sin minus a Curia, exquirantur litterae testimoniales seu documenta, quibus, accuratiore modo quo fieri possit et sub secreto, significantur notae de honestate, religione et veracitate utriusque coniugis ac testium, necnon alia referantur quae necessaria et opportuna ad eorundem depositiones aestimandas videantur.

XI.

LITTERAE IUDICIS AD PAROCHUM PARTIUM, PRO INFORMATIONE SUPER
PROBITATE ET CREDIBILITATE CONIUGUM ET TESTIUM

(Sub secreto)

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum diei..., et ex subdelegatione Rev.mi Ordinarii huius dioecesis, in hoc Tribunali instruat causa super asserta inconsummatione matrimonii initi inter N. et N., et causis imploratae Apostolicae dispensationis, instante praefata uxore N., necesse est, ad normam *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, ut sedulo investigetur et legitimum testimonium praebatur de utriusque coniugis ac testium qui inducuntur credibilitate.

Quapropter infrascriptus Iudex instructor in eadem causa, praesentibus mandat R. D. N., sponsorum parochus, ut pro pastoralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirat et distincte huic Tribunali significet notas de religione et honestate utriusque coniugis ac testium qui inducuntur videlicet...: an nempe praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant et an eis credi debeat, etiam cum deponent de rebus quae ipsorum intersint, seu circa assertam matrimonii inconsummationem.

Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de omnibus aliis quae ad utriusque coniugis ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut sufficiens plenum testimonium ad praefatam S. C. transmitti possit, circa rem quae ad controversum matrimonium pertinet.

Quod si coniuges vel testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones instituat, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum, vel alius prudentis personae, sibi bene visae, et quidem sub secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Datum ex aedibus ..., die ..., anno ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

Si sponsi in diversis paroeciis commorentur, parochi utriusque paroeciae sunt rogandi.

Quod si coniuges ac testes potiusquam ubi impraesentiarum

degunt, alia in paroecia magis cogniti fuerint, informationes ab illo parochus opus est exquirere, vel etiam ab utroque parochus utriusque commorationis.

Quoad etiam peritos, qui et ipsi probitatem quidem et credibilitatem praeseferre debent, non semel usuvenit quod eiusmodi informationes sint exquirendae.

XII.

INFORMATIO PAROCHI

Specimen responsionis a parochus dandae, si informationes sint respective parti, aut partibus, aut testibus favorabiles; factis in textu litterarum necessariis mutationibus, pro subiecta materia.

Quod attinet ad informationes a Rev.mo Iudice instructore in causa ... expetitas litteris diei ..., infrascriptus parochus Ecclesiae N. pro suo munere respondet, se N. uxorem oratricem, in finibus huius paroeciae commorantem, pluribus abhinc annis perspectam habere; ac praesentibus litteris, quatenus sibi constiterit, fidem facit eandem mulierem religione et honestis moribus imbutam esse, ac bona existimatione gaudere, ita ut mendacio obnoxia non existimetur. Quibus attentis, oratrix incapax periurii putatur, etiam in sui favorem, et credibilis apparet quoad assertionem de inconsummatione sui matrimonii. Ceterum cum idem parochus, occasione porrecti libelli pro huius causae introductione, rogatus a Rev.mo Ordinario, investigationes peregerit et cum praefata muliere collocutus fuerit, censuit eandem sinceram et veridicam esse.

Quod autem ad virum conventum spectat, etc.

In fidem.

Ex paroecia..., die..., anno...

L. ✕ S.

N., parochus.

Ex adverso, si informationes non sint favorabiles, parochus iis utatur verbis, quae a veritate minime deflectant, quaeque prudentia pro diversis casibus suggerat.

Si parochus sponso, vel testes, vel peritos non probe noverit, neque certas de iisdem informationes aliunde, pro sua conscientia, colligere queat, iudicem in sua responsione, adductis rationibus, aperte doceat.

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret.

XIII.

LITTERAE IUDICIS AD ORDINARIUM (QUOTIES HIC NON SIT IUDEX, ET EIUS OPERA UTILITER POSTULETUR) PRO EXQUIRENDIS INFORMATIONIBUS

Illme ac Revme Domine,

In causa dispensationis matrimonii N.-N., quae ex subdelegatione facta ab A. T. die ..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus sponsorum (*vel* testium ..., *vel* peritorum ...), apposite rogatus, responderit se eosdem coniuges (*vel* testes ..., *vel* peritos ...) haud bene cognitos sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit, A. T., pro sua ampliore auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate partium (*vel* peritorum), ita ut eorum depositiones seu relationes rite aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum ..., die ..., anno ...

L. ✕ S.

Addictissimus famulus

N., Iudex subdelegatus.

N., actuarius.

XIV.

LITTERAE ORDINARIJ
AD COLLIGENDAS PRAEFATAS EXTRAORDINARIAS INFORMATIONES

Illme Domine,

(*Sub secreto*)

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam uxoris N., instruat causa super matrimonio ab eadem muliere inito cum N., quod asseritur minime fuisse consummatum, et ideo a Summo Pontifice gratia dispensationis efflagitur; cumque Nobis constiterit te religione et probitate vitae, nec non personarum ac rerum scientia et prudentia pollere, atque tibi praefatam mulierem oratricem (*vel* testis aut

periti personam) cognitam esse, praesentibus litteris te rogamus ut, pro caritate et obsequio quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dictae mulieris (*vel* testis *vel* periti), praesertim in iudiciali et iurata assertione circa asseritam matrimonii inconsummationem, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide digna habenda sit necne.

Interim Deus, etc.

Datum ..., die ..., anno...

L. ✕ S.

† N., Ordinarius.

N., cancellarius.

XV.

CITATIO UXORIS ORATRICES

De mandato Revmi N., Iudicis instructoris in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum, inter N. et N., domina N., habitans in via ..., num. ..., uxor oratrix in causa, personaliter compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius Tribunalis, in via ..., num. ..., anno ..., mense ..., die ..., hora ..., ut iuratum examen subeat in causa a se intentata.

Datum ..., ex aedibus ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex.

N., actuarius.

Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori, remittendum parti, iuxta praescriptum Codicis, canone 1717 ss.; alterum asservatur in actis, et in calce eiusdem cursor referet ea quae peregit.

XVI.

RELATIO INTIMATIONIS A CURSORE PERACTAE, FACIENDA
IN EXEMPLARI IN ACTIS ASSERVATO

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Reverendissimae Curiae Episcopalis N., hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis dominae N., in ipsius domicilio, via ..., num. ..., tradendo praefatum exemplar in manus eiusdem do-

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret.

XIII.

LITTERAE IUDICIS AD ORDINARIUM (QUOTIES HIC NON SIT IUDEX, ET EIUS OPERA UTILITER POSTULETUR) PRO EXQUIRENDIS INFORMATIONIBUS

Illme ac Revme Domine,

In causa dispensationis matrimonii N.-N., quae ex subdelegatione facta ab A. T. die ..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus sponsorum (*vel* testium ..., *vel* peritorum ...), apposite rogatus, responderit se eosdem coniuges (*vel* testes ..., *vel* peritos ...) haud bene cognitos sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit, A. T., pro sua ampliore auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate partium (*vel* peritorum), ita ut eorum depositiones seu relationes rite aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum ..., die ..., anno ...

L. ✕ S.

Addictissimus famulus

N., Iudex subdelegatus.

N., actuarius.

XIV.

LITTERAE ORDINARIJ
AD COLLIGENDAS PRAEFATAS EXTRAORDINARIAS INFORMATIONES

Illme Domine,

(*Sub secreto*)

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam uxoris N., instruat causa super matrimonio ab eadem muliere inito cum N., quod asseritur minime fuisse consummatum, et ideo a Summo Pontifice gratia dispensationis efflagitur; cumque Nobis constiterit te religione et probitate vitae, nec non personarum ac rerum scientia et prudentia pollere, atque tibi praefatam mulierem oratricem (*vel* testis aut

periti personam) cognitam esse, praesentibus litteris te rogamus ut, pro caritate et obsequio quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dictae mulieris (*vel* testis *vel* periti), praesertim in iudiciali et iurata assertione circa assertam matrimonii inconsummationem, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide digna habenda sit necne.

Interim Deus, etc.

Datum ..., die ..., anno...

L. ✕ S.

† N., Ordinarius.

N., cancellarius.

XV.

CITATIO UXORIS ORATRICIS

De mandato Revmi N., Iudicis instructoris in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum, inter N. et N., domina N., habitans in via ..., num. ..., uxor oratrix in causa, personaliter compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius Tribunalis, in via ..., num. ..., anno ..., mense ..., die ..., hora ..., ut iuratum examen subeat in causa a se intentata.

Datum ..., ex aedibus ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex.

N., actuarius.

Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori, remittendum parti, iuxta praescriptum Codicis, canone 1717 ss.; alterum asservatur in actis, et in calce eiusdem cursor referet ea quae peregit.

XVI.

RELATIO INTIMATIONIS A CURSORE PERACTAE, FACIENDA
IN EXEMPLARI IN ACTIS ASSERVATO

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Reverendissimae Curiae Episcopalis N., hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis dominae N., in ipsius domicilio, via ..., num. ..., tradendo praefatum exemplar in manus eiusdem do-

minae N. (vel personae de eius familia aut famulatu) et ad normam can. 1721 ss.

In fidem, etc. Die ..., mense ..., anno ...

N., cursor deputatus.

Similiter exaratur scheda citatoria et fit relatio intimationis pro parte conventa et pro aliis in ius vocandis.

XVII.

DEFENSOR VINCULI EXHIBET INTERROGATORIA ORATRICI PROPONENDA

N., in causa assertae inconsummationis matrimonii inter N. et N. defensor vinculi legitime deputatus, exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata, et nonnisi in actu examinis a Iudice aperienda, atque instat ut super iisdem examinetur domina oratrix N., in causa a se intentata, servata forma a iure statuta; alioquin protestatur, etc.

Haec cum facultate alia addendi, delendi, corrigendi, etc.

Datum ..., die ...

N., defensor vinculi.

Item exhibentur interrogatoria pro examine partis conventae, testium ac peritorum.

XVIII.

IUSIURANDUM PRAESTANDUM A PARTIBUS AC TESTIBUS
DE VERITATE DICENDA

Iudex gravibus verbis coniuges ac testes antea moneat de sanctitate iurisiurandi et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et *periurii funestissimos effectus*, iuxta ea quae in Decreto admonentur; et prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat, de poenis quibus periurii noxii fiunt in foro Ecclesiae, quaeque recoluntur in *Regulis*, sub n. 40.

Deinceps iudex partem vel testem alloquitur:

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis, tactis sanctis Evangeliiis, sequenti formula:

Ego N. iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam vel immutem. Sic me Deus adiuvet, etc.

XIX.

EXAMEN UXORIS ORATRICIS

Sessio

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., coram R. D. N., Iudice subdelegato, adstantibus R. D. N., defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuit D. N., oratrix in causa dispensationis sui matrimonii, pro hac die et hora rite citata.

Iudex iusiurandum ab oratrice petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam (*prout sub n. XVIII*).

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria uxori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen oratricis, quae ad singulas quaestiones respondet ex ordine ut sequitur:

Interrogationes generales.

1. Iudex partem interroget circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

An obligationes religiosas adimpleat.

Tum Iudex mandat actuario ut legat, pro norma partis, nomina iudicis et ministrorum tribunalis.

Deinceps, quatenus casus ferat, Iudex oratricem inducere conetur ad reconciliationem cum coniuge, propositis rationibus, iuxta qualitatem personarum et adiunctorum diversitatem, opportune depromptis, praesertim ex. gr. ex sanctitate initi matrimonii, ex auxilio divinae gratiae ad eiusdem onera sustinenda, ex tranquillitate conscientiae et pace familiarum, ex difficultatibus quae processum pro petita dispensatione comitantur; et apprime postulet quatenam causae opponantur quominus reconciliatio obtineatur, contendens ut eadem causae, si fieri queat, removeantur.

Interrogationes particulares.

Post interrogationes generales, quaestiones particulares, prudenter pro adiunctis variandae, deferuntur. Speciminis gratia proponuntur plures circumstantiae quae prae oculis haberi debent, non tamen singulae in singulis processibus, sed pro subiecta materia.

2. Interr. Utrum confirmet an non suum supplicem libellum (*qui, si opus fuerit, legatur*) in singulis partibus? An et cuiusnam opera vel consilio oratrix usa fuerit pro huiusce causae propositione, et in supplici libello conficiendo?

3. Interr. Quando sponsi nuptiales negotiationes inchoarint, et quamdiu hae duraverint?

4. Interr. An matrimonium de parentum consensu et ex mutuo amore inierint?

5. Interr. An praecesserint banna; quo loco, quibus intervenientibus, qua communi laetitia et pompa matrimonium fuerit celebratum?

6. Interr. Quo tempore coniuges simul convenerint, eodem cubiculo et toro cubaverint?

7. Interr. An officiis coniugalibus ultro libenterque operam dederint et matrimonium consummaverint? (*Si opus fuerit: An pars reapse sciat in quo eiusmodi consummatio consistat?*).

8. Interr. Si non consummaverint, an postea ad consummandum conatus adhibuerint, quoties, quomodo et quonam exitu?

9. Interr. An oratrix coniugali operi navando dolorem aliquando experta fuerit?

10. Interr. An ei persuasum sit virum copulam perfecisse integre iuxta naturae legem?

11. Interr. An istius vestigia exterius, ut solitum est, reperta fuerint?

12. Interr. An oratrix causam vel causas tum remotas tum proximas assertae inconsummationis cognoscat, aut saltem suspicetur? Dicat quid sibi videatur. Potissimum, ex. gr., an causa inconsummationis fuerit defectus veri consensus in matrimonium, aut vis et metus in eodem ineundo, aut aversio inter sponsores exorta in ipso vitae coniugalis exordio, aut impotentia sive absoluta sive relativa, aut alia eiusmodi causa. Et peculiares circumstantias conatum consummationis referat.

13. *Pro casu in quo asserta inconsummatio tribuatur infirmitati alterutrius coniugis:*

Interr. An aliquando alteruter coniux fuerit infirmus, et qua infirmitate? An et quos medicos consuluerit? Quae adhibuerit medicamenta, quanto tempore et quo effectum? Quanam eorundem medicorum testimonia, vel alia documenta ad rem pertinentia habeantur?

14. Interr. An coniuges eodem cubiculo eodemque lecto semper usi fuerint?

15. Interr. Quis primus alterum deseruerit, qua de causa aut occasione proxima?

16. Interr. An et quando actum civilem celebraverint?

17. Interr. An fortasse de separatione vel solutione vinculi apud iudicem civilem actum fuerit, quo tempore, quo coniuge instante, quibus de causis, et quonam exitu? An decisio definitiva edita fuerit?

18. Interr. An sponsi suas coniugales vicissitudines, palam vel secreto, narraverint parentibus, consanguineis, amicis vel vicinis? Cui vel quibus, et quonam tempore de sui matrimonii inconsummatione locuti sint? In casu oratrix dicat eorum nomina et domicilia.

19. Interr. Quando et quonam modo oratrix didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi?

20. Interr. Quanam sint causae, ob quas dispensationem a Summo Pontifice postulavit, et an in suo robore maneant?

21. Interr. An sciat utrum altera pars praesenti petitioni consentiat necne, et qua de causa praevideat eandem consensuram, aut sese opposituram esse?

22. Interr. Indicet testes, quatenus fieri possit, numero *septem*, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de eiusdem oratrix probitate, et praesertim de veracitate in praesenti controversia. Potissimum si qui facta noverint, a quibus praesentis quaestionis solutio pendeat, vel qui adiuncta ab uxore exposita confirmare valeant. Afferat de eiusmodi testibus nomen, cognomen, domicilium (urbem, viam, dioecesim ac paroeciam), locum hodiernae commorationis, aliasque notitias oportunas.

23. Interr. (*Praesertim si reus contumax sit vel fore videatur*): Indicet oratrix testes etiam ex parte viri conventi, inter eiusdem consanguineos, affines et vicinos, vel alioquin edoctos, qui probabiliter utile testimonium praestare valeant in casu.

24. Interr. An habeat instrumenta vel documenta, sive publica, sive privata, ad rem facientia? (*Si apud civilem iudicem de controverso matrimonio actum fuerit: An exhibere possit authenticum exemplar actorum et sententiae iudicis civilis? An in pro-*

cessu civili inspectio corporalis utriusque vel alterutrius coniugis peracta fuerit; quo in casu, utrum tam scripta relatio, quam oralis peritorum depositio exhibeantur; et quaenam de eadem inspectione sint animadvertenda, pro rei veritate?).

25. Interr. An oratrix revera putet se adhuc integritate pollere, et parata sit corporali inspectioni duarum obstetricum vel duorum peritorum sese submittere, ad normam ss. canonum, praesertim *Regularum* S. C. de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923? Et quatenus fuerit deflorata, qua de causa et quo tempore id acciderit; et an eadem mulier inducere possit medicum vel peritum qui eam inspexerit et qui, a secreti vinculo solutus, testari valeat de statu oratricis post definitivam separationem a viro?

26. Absoluto examine, de mandato Iudicis, integra depositio clara voce legitur mulieri oratrici, et Iudex eandem interrogat:

Interr. An sit aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

27. Interr. Dein petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. infra n. XX).

Ac, praestito iureiurando, subscribunt oratrix, iudex, defensor vinculi et actuarius.

L. ✕ S.
N., oratrix.
N., iudex instructor.
N., defensor vinculi.
N., actuarius.

Si oratrix scribere nesciat, aut legitime impediatur quominus subscribat, id in actis adnotetur.

Si examen in unica sessione non absolvatur, suspenditur, facta adnotatione causae suspensionis, ex. gr.: «Ob horae tarditatem, suspensum fuit examen, animo et ordine proseguendi eodem loco, die ..., hora ...».

Ad partis examen allegentur litterae testimoniales de eiusdem credibilitate, expetitae et obtentae, ut supra diximus.

XX.

IUSIURANDUM DE VERITATE DICTORUM ET DE SECRETO SERVANDO

Ego N. iuro me solam ac totam veritatem dixisse, et nunquam, antequam praesens causa penitus absolvatur, evulgaturum sive propositas interrogationes, sive responsiones datas. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXI.

IUSIURANDUM AB INTERPRETE PRAESTANDUM

Ego N., a Revmo Iudice in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N., deputatus interpres, iuro me dictum munus fideliter impleturum, acta et documenta processus de verbo ad verbum diligenter et adamussim reddendo, ac simul secretum de omnibus quae in processu acceperim, servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXII.

DECRETUM PRO CITATIONE PARTIS CONVENTAE

Revms N., Iudex instructor, etc., audito vinculi defensore, in ius vocari mandat N., virum conventum, eique dici diem, mensis ..., horam ..., in aedibus ..., in via ..., num. ..., ut iuratum examen subeat in processu ab N., uxore eiusdem viri, intentato, quo in hoc Tribunali conficitur ex mandato S. C. de disciplina Sacramentorum, diei ..., super asserta inconsummatione matrimonii dictorum coniugum, et causis Apostolicae quae efflagitatur dispensationis; cum declaratione quod si idem vir conventus, die et hora praestituta, non comparuerit, neque absentiae excusationem allegaverit, contumax habebitur, et, eo absente, instante defensore vinculi matrimonialis, ad ulteriora in iudicio procedetur.

Datum ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

XXIII.

CITATIO PARTIS CONVENTAE PER EDICTUM

ROMANA

DISPENSATIONIS MATRIMONII N.-N.

Cum ignoretur locus actualis commorationis D. N., filii ..., conditionis ..., in hac causa conventi, oriundi ex loco vulgo ..., dioecesis ..., qui anno ... degebat in loco ..., via ..., num. ..., per

hoc edictum praefatum virum peremptorie citamus ad personaliter comparendum, anno ..., mense ..., die ..., hora ..., in aedibus huius s. Tribunalis (via ..., num. ...), coram infrascripto Iudice instructore, ad depositionem faciendam, iuxta interrogatoria eidem proponenda, in causa assertae inconsummationis matrimonii, ab eius uxore N. intentata, ad implorandam Apostolicam dispensationem, et quae ex mandato S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., in hoc Tribunali peragitur.

Quod nisi compareat die et hora designatis, neque absentiae vel suae rationis agendi excusationem attulerit, contumax habebitur, et, eo absente, ad ulteriora procedendum erit, instante revmo defensore vinculi in eadem causa.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco praefati viri, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

Datum ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.

N., actuarius.

XXIV.

EXAMEN VIRI CONVENTI

Sessio

Serventur formae ut pro examine uxoris oratricis, et similes interrogationes proponi possunt; sed aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiciendae erunt, aliae autem omittendae, aut de integro conficiendae; iuxta prudentiam et sagacitatem iudicis ac defensoris vinculi, qui eas exigant declarationes, quae, pro qualitate facti et personae, veritatem illustrare natae sint. Quoad vero corporalem viri inspectionem requirendam, attendantur quae praescripta sunt in *Regulis*, n. 84, §§ 2-3.

Ac parti quae secundo loco interrogatur, si casus ferat, in fine examinis fiant contestationes circa responsiones alterius partis, quae etiam ad examen iterum vocari poterit, iuxta *Regulas*, n. 55.

Si pars conventa in locum ubi tribunal coadunatur venire non possit, sive in aliena dioecesi sive in eadem degat, audiatur iuxta *Regulas*, nn. 23-24; idque observetur etiam quoad alios in ius vocatos, qui in similibus versentur adiunctis.

Quod si pars conventa coram iudice non comparuerit, de non secuta comparitione in iudicium et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de contumacia, in actis mentio fiat. Et quidem si de renuentia ad obtemperandum agatur, iusta causa absentiae non allata, iudicis est, audito vinculi defensore, perpendere an renovanda sit citatio, vel aliis modis magis opportunis utendum sit, veluti interventu personae amicitia coniunctae vel auctoritate gravis; et idem dicatur pro contumacia aliorum in ius accitorum. Documenta vero contumaciam comprobantia in actis referantur et, praesertim pro parte conventa, declaratio contumaciae edatur (cf. *Regulas*, n. 26).

XXV.

DECRETUM DECLARATIONIS CONTUMACIAE PARTIS CONVENTAE

ROMANA

DISPENSATIONIS MATRIMONII N.-N.

In causa *Romana*, *Dispensationis matrimonii* initi inter N. et N., quam Revmus N., Iudex, ex rescripto S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., instante uxore, instruendam curat, cum vir N., pars conventa, legitime citatus fuerit (vel iterum citatus fuerit ad normam can. 1843, § 2, vel opportuna media adhibita fuerint ad eundem arcessendum), iuxta decretum praefati Iudicis diei ..., et revera constiterit citationem tempore utili ad notitiam dicti viri pervenisse, iuxta intimationem rite peractam a cursore Curiae die... (vel iuxta syngrapham receptionis per publicos tabelliones delatam), ac simul constiterit eundem conventum, die et hora praescripta, neque dimidia parte horae immediate sequentis, coram iudice non comparuisse, et absentiae excusationem afferre neglexisse, neque ullo modo ab eiusmodi inobedientia recedere voluisse, Revmus Iudex instructor, audito defensore vinculi, eundem virum contumacem declarat; mandans ut, servatis servandis, ad ulteriora procedatur, usque ad conclusionem processus: idque parti contumaci notum fiat *ex officio*.

Ad hoc decretum adiciuntur documenta contumaciam eiusdem partis conventae comprobantia.

Datum ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.

N., actuarius.

XXVI.

DECRETUM CITATIONIS TESTIUM SEPTIMAE MANUS
AB ORATRICE INDUCTORUM

Revmus N., Iudex instructor in causa ..., audito vinculi defensore, testes septimae manus a muliere oratrice inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari; videlicet:

1. N. (ex. gr. patrem eiusdem oratricis).
2. N. (matrem, etc.)
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...

Datum ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

Allegentur litterae testimoniales quae obtentae sunt circa testium exequiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, in forma simili ac pro partibus, mutatis mutandis; et similiter fiat intimatio.

XXVII.

IUDICIALE EXAMEN TESTIS N. AB ORATRICE INDUCTI

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine oratricis. Iudex testi defert iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVIII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore vinculi, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia: 1. Testis interrogetur circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis alterutri coniugi, et quo gradu?

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit coniuges N. et N.?

Ad specialia: 4. An perspectam habeat religionem et honestatem eorundem coniugum, ac propterea an testis putet unum alterumque vera dixisse; vel saltem eos habeat incapaces peierandi, neque in sui favorem, et in re tam gravi de qua agitur?

5. An sciat utrum coniuges, de quibus est sermo, sese libera voluntate et mutuo affectu copulaverint?

6. Quanam fuerint signa mutui amoris, tam ante matrimonii celebrationem, quam in ipso die celebrationis, ac postea?

7. An sciat utrum condormierint et matrimonium consummaverint?

8. An sit instructus qua de causa consummare nequiverint? (Utrum, ex. gr., ex defectu veri consensus in matrimonium, aut ex vi et metu in eodem ineundo, aut ex aversione et odio exortis inter sponso in ipso vitae coniugalis initio, aut ex impotentia sive absoluta sive relativa, vel ex aliis quibuslibet causis?).

Nota. — Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae asserta inconsummatio tribuenda sit, et perquirere de *indiciis* et *praesumptionibus* quae ad comprobendam inconsummationem conferre possint, iuxta *Regulas*, cap. XII.

9. An et quid coniuges experti sint, ut impedimenta ad consummationem perficiendam amoverent?

10. An inter eos lites exstiterint, et alter alterum male habuerit?

11. Quae fuerit causa vel occasio mutati animi et sensus unius erga alterum?

12. Quanto tempore simul cohabitaverint, et quis primus alterum deseruerit?

13. Quanam sit fama tam apud testem, quam apud alios de asserta inconsummatione?

14. An testis noverit alios sive ex parte oratricis, sive ex parte viri, qui sint de re instructi, et in hoc processu deponere possint?

15. An sciverit quando pars oratrix consilium cepit petendi a Summo Pontifice dispensationem super rato, sed non consummato, et a quonam hanc Summi Pontificis facultatem didicerit?

16. An sit possibilis coniugum reconciliatio?

17. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Tum iudex integram depositionem editam a coniuge qui testem induxit, eidem testi legere faciat, ac petit:

18. An asserta in coniugis depositione veritati respondere in omnibus censeat?

XXVI.

DECRETUM CITATIONIS TESTIUM SEPTIMAE MANUS
AB ORATRICE INDUCTORUM

Revmus N., Iudex instructor in causa ..., audito vinculi defensore, testes septimae manus a muliere oratrice inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari; videlicet:

1. N. (ex. gr. patrem eiusdem oratricis).
2. N. (matrem, etc.)
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...

Datum ..., die ...

L. ✕ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

Allegentur litterae testimoniales quae obtentae sunt circa testium exequiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, in forma simili ac pro partibus, mutatis mutandis; et similiter fiat intimatio.

XXVII.

IUDICIALE EXAMEN TESTIS N. AB ORATRICE INDUCTI

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine oratricis. Iudex testi defert iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVIII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore vinculi, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia: 1. Testis interrogetur circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis alterutri coniugi, et quo gradu?

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit coniuges N. et N.?

Ad specialia: 4. An perspectam habeat religionem et honestatem eorundem coniugum, ac propterea an testis putet unum alterumque vera dixisse; vel saltem eos habeat incapaces peierandi, neque in sui favorem, et in re tam gravi de qua agitur?

5. An sciat utrum coniuges, de quibus est sermo, sese libera voluntate et mutuo affectu copulaverint?

6. Quanam fuerint signa mutui amoris, tam ante matrimonii celebrationem, quam in ipso die celebrationis, ac postea?

7. An sciat utrum condormierint et matrimonium consummaverint?

8. An sit instructus qua de causa consummare nequiverint? (Utrum, ex. gr., ex defectu veri consensus in matrimonium, aut ex vi et metu in eodem ineundo, aut ex aversione et odio exortis inter sponso in ipso vitae coniugalis initio, aut ex impotentia sive absoluta sive relativa, vel ex aliis quibuslibet causis?).

Nota. — Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae asserta inconsummatio tribuenda sit, et perquirere de *indiciis* et *praesumptionibus* quae ad comprobendam inconsummationem conferre possint, iuxta *Regulas*, cap. XII.

9. An et quid coniuges experti sint, ut impedimenta ad consummationem perficiendam amoverent?

10. An inter eos lites exstiterint, et alter alterum male habuerit?

11. Quae fuerit causa vel occasio mutati animi et sensus unius erga alterum?

12. Quanto tempore simul cohabitaverint, et quis primus alterum deseruerit?

13. Quanam sit fama tam apud testem, quam apud alios de asserta inconsummatione?

14. An testis noverit alios sive ex parte oratricis, sive ex parte viri, qui sint de re instructi, et in hoc processu deponere possint?

15. An sciverit quando pars oratrix consilium cepit petendi a Summo Pontifice dispensationem super rato, sed non consummato, et a quonam hanc Summi Pontificis facultatem didicerit?

16. An sit possibilis coniugum reconciliatio?

17. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Tum iudex integram depositionem editam a coniuge qui testem induxit, eidem testi legere faciat, ac petit:

18. An asserta in coniugis depositione veritati respondere in omnibus censeat?

Quodsi iudici non videatur opportunum integram legi coniugis depositionem, se gerat iuxta *Regulas*, n. 68, § 2.

Dein testi leguntur omnia quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, ac rogatur:

19. An haec relatio responsiones redditae plene contineat?

20. Petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. supra, n. XX).

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor vinculi et actuarius.

L. ✕ S.

N., testis.

N., Iudex instructor.

N., defensor vinculi.

N., actuarius.

Simili modo agendum est quoad ceteros testes septimae manus, et alios qui producuntur vel ad instantiam partis, vel *ex officio*.

XXVIII.

IUDEX OBSTETRICES, VEL MEDICOS,
ET MATRONAM AD CORPORALEM UXORIS ORATRICES INSPECTIONEM
EX OFFICIO DESIGNAT

Die ..., mense ..., anno ..., in processu super matrimonium quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N.

Revmus N., Iudex instructor, audito defensore vinculi, decrevit: Procedatur ad legalem inspectionem corporis mulieris N., uxoris oratricis; et ad hoc eligantur, prout praesenti decreto eliguntur, in obstetrices N. et N. (vel in peritos medicos N. et N.); in matronam N.

Idque eis notificetur, et moneantur ut die ..., mense ..., hora ..., se sistant in aedibus..., via ..., n. ..., ad memoratam inspectionem peragendam, iuxta C. I. C. et *Regulas* S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 7 maii 1923.

Quod tum praefatae N., mulieri oratrici, tum defensori vinculi significetur.

L. ✕ S.

N., Iudex.

N., actuarius.

Quod spectat ad ipsam inspectionem mulieris peragendam necne, cf. *Regulas*, nn. 84-86.

Quoad qualitates requisitas in eligendis obstetricibus vel peritis, cf. *ibid.*, nn. 87-89; et quoad qualitates matronae, *ibid.*, n. 91.

Item, mutatis mutandis, editur decretum deputationis pro duobus peritis ad inspiciendum virum, si casus ferat.

XXIX.

IUSIURANDUM AB OBSTETRICIBUS, VEL MEDICIS,
ET A MATRONA PRAESTANDUM

Iudex obstetrices, vel peritos, ac matronam moneat de iurandi gravitate, praesertim in huiusmodi processibus, iuxta ea quae in *Decreto* significantur.

Deinceps obstetrices, vel praefati medici, iusiurandum praestant, tactis s. Evangeliiis, sequenti formula, mutatis mutandis:

Ego N., deputata ut obstetrix *ex officio*, ad peragendam peritiam canonicam super muliere N., iuro me commissum officium fideliter obitutam, eaque omnia exquisitum et deductum, quae, per experimentum iuxta medicae artis principia absolutum, ad admittendam aut excludendam matrimonii consummationem conferre censeam; servatis praesertim praescriptionibus *Regularum* S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 7 maii 1923, cap. XIII; et tam in scripta relatione, quam in orali interrogatorio, omnia exposituram iuxta veritatem; necnon secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

Pariter, tactis s. Evangeliiis, matrona iurat:

Ego N., designata *ex officio* ut adstem corporali inspectioni mulieris N., iuro me officium meum fideliter impleturam, observando potissimum praescriptiones *Regularum* S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 7 maii 1923, cap. XIII, ac praesertim curaturam ne fraus committatur, atque ut pudoris leges sartae et tectae servantur; necnon in orali interrogatorio omnia exposituram iuxta veritatem, et secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

De iis quae in peragenda inspectione servari debent, ac de ratione eiusdem inspectionis exsequendae, confer *Regulas*, nn. 91 et 93.

Si vero iudex dubitet de sufficienti instructione obstetricum, adhibeat peritum medicum qui easdem ad rem instruat.

Inspectionem obstetrices vel periti seorsim singuli exsequi debent, servatis *Regulis*, n. 93.

Peracta inspectione, pariter singuli seorsim relationem factae

inspectionis et suam sententiam scripto consignent, in attestatibus tradendis intra terminum a iudice praefinitum, et quae actis integrae allegandae erunt.

Iudex autem designat locum, diem et horam ad orale examen peritorum et matronae.

XXX.

ORALE EXAMEN PERITI VEL OBSTETRICIS

Anno, coram Iudice, adstantibus, comparuit D. N. (*ut in aliis sessionibus; cf. initium examinis uxoris oratricis, mutatis mutandis*).

Iudex instructor, perito vel obstetrici iterum delato, si ita existimet, iureiurando de veritate dicenda, reserat schedam obsignatam, ubi continentur articuli concinnati a defensore vinculi, quos hic praesertim eruerit ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis, iuxta generales et peculiares circumstantias et difficultates, quae in casu actualis inspectionis sunt quidem animadvertendae.

Eiusmodi autem articuli, praeter eos qui in schemate infra notantur, desumi debent ex vulgatis a Sancta Sede Instructionibus, seu ex Instr. S. C. Concilii, *Cum moneat glossa*, diei 22 augusti 1840; ex Instr. S. C. S. Off., *Iudex ad hoc deputatus*, a. 1858; et ex Instr. eiusdem S. O. (ad Episcopos Rituum Orientalium), *Quemadmodum matrimonii foedus*, an. 1883, tit. VI, art. 5; atque ex consulto viri periti, pro difficultatibus alicuius peculiaris casus.

Praemissis interrogationibus generalibus, iudex dictos articulos perito seu obstetrici exhibet, qui esse poterunt ut sequitur; quibus *ex officio* alios, prout casus ferat, adicere debet, attentis etiam dubiis et ambiguitatibus, quae ex ipso interrogatorio emergerint.

1. An perito aliqua sit necessitudo cum muliere inspecta, vel eius viro?

2. Quo tempore et quomodo eos noverit?

3. An sub vinculo iurisiurandi confirmet per omnes partes relationem, quam de corporali mulieris inspectione scripto exaravit?

4. An in eadem relatione aliquid addendum habeat, vel corrigendum, vel mutandum?

5. An peritus tum physicam inspectionem, tum etiam relationem seorsim ab altero perito confecerit?

6. An mulier balneo subiecta fuerit aquae tepentis, et quanto tempore?

7. Qua via et ratione peritus in peragenda inspectione processerit?

8. An idem peritus signa, ab arte tradita, integritatis aut corruptionis mulieris inspexerit in casu?

9. Quibus potissimum argumentis sententia a perito prolata innitatur?

10. An exstet aliquod dubium fraudis, praesertim an praesidia artis medicinalis callide adhibita fuerint ad integritatem simulandam?

11. An mulier aliquo morbo vel defectu vel anomalia laboraverit, quae influxum habere potuerint in coniugales relationes, et quidem ipso tempore cohabitationis cum viro; et utrum curari queant, an non?

12. (*Si casus adsit*). Quomodo conciliari possit sententia periti cum contraria opinione alterius periti vel doctoris, vel cum contraria assertione unius vel utriusque coniugis (*quae perleguntur*)?

Nota. Relationes sive ab obstetricibus sive a medicis confectas iudex alterius periti examini subiicere poterit, si id opportunum existimaverit, et aliter se gerere iuxta *Regulas*, n. 93, § 2.

13. Quidnam peritus perspexerit de generali corporis constitutione mulieris oratricis, de eiusdem temperamento et de statu psychico?

14. An et quae ab eadem muliere sciverit ad rem facientia?

15. (*Si casus ferat*). An peritus aliquid sciverit de statu physico alterius coniugis, scilicet viri conventi, quod ad rem pertineat: et an eiusdem periti sententia reapse corroboretur, aut infirmetur, notitiis, quae in processu comparatae sunt de eiusmodi statu viri (*quae ideo leguntur*)?

16. Cuiam causae peritus assertam inconsummationem censeat esse tribuendam in casu?

17. An et quaenam alia sint experienda ad veritatem detegendam?

18. An, praemissa lectura depositionis, peritus aliquid habeat addendum, minuendum, corrigendum, mutandum?

Praestito iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, sequuntur subscriptiones, ut de more.

XXXI.

ORALE EXAMEN MATRONAE

Serventur formae ut pro orali examine peritorum, mutatis mutandis.

Post rursus praestitum, si iudici videatur, iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, sequuntur quaestiones speciales, praesertim:

1. An matrona inspectioni ininterrupte adstiterit?
2. An et quomodo balneum paratum et adhibitum fuerit? quanto tempore in eo uxor permanserit?
3. An officium suum medici vel obstetrices, servatis modestiae legibus, et iuxta normas eisdem statutas, diligenter expleverint?
4. Utrum ulla fraus aut deceptio locum habere potuerit?
5. An matrona aliquid habeat de re animadvertendum?
6. An aliquid habeat addendum, suppressendum, corrigendum, variandum?

Si balneum adhibitum non fuerit, secunda interrogatio, uti patet, est omittenda.

Emisso iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, fit subscriptio.

XXXII.

DE VIRI INSPECTIONE

Quatenus viri inspectio requiratur (ad normam *Regularum*, n. 84, § 2), duo medici *ex officio* deputari debent, qui, praestito duplici iureiurando, de munere fideliter adimplendo et de secreto servando (ut dictum est pro obstetricibus, vel medicis, quoad mulieris inspectionem, mutatis mutandis), a iudice moneantur ut singuli seorsim inspectionem viri, servata honestate, perficiant, et perscrutentur ea quae in *Regulis*, n. 95, adnotantur.

Expleta inspectione, singuli seorsim relationes scripto consignent et iudici exhibeant, quae in actis integrae inseruntur, et ex quibus defensor vinculi suas expromit interrogationes.

Fit autem orale examen singulorum medicorum, in quo, si iudici videatur, post rursus praestitum iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, proponendae sunt quaestiones pe-

culiares, prout eruuntur ex Instructionibus a Sancta Sede typis editis, quae supra memoratae sunt, n. XXX, iuxta casus adiuncta.

In genere prae oculis habendae sunt quae sequuntur, ex *Regulis* cit., n. 95:

1. An medicus licitis quidem et honestis praesidiis usus fuerit?
2. Quatenam argumenta vel indicia repererit, quae virilem potentiam adstruant, aut potius excludere videantur?
3. An vir aliquo morbo et quonam laboraverit, qui influxum in coniugales relationes habere potuerit?
4. Utrum eiusmodi morbus iam diu invaluerit, vel sit recens; naturalis vel acquisitus; curabilis absque salutis periculo, an non?

Et ad veritatem detegendam iudex, audito defensore vinculi, cuncta experiatur, ad normam *Regularum*, et ut adnotatum fuit in examine peritorum pro mulieris inspectione, congrua congruis referendo.

Demum, post delatum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, sequitur de more subscriptio.

XXXIII.

CONCLUSIO INSTRUCTIONIS PROCESSUS

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter N. et N.

Interrogatis tum partibus, quae responderunt se nihil aliud habere quod deducant; tum defensore vinculi, qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse;

Perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritorum depositionibus, relationibus et adnexis documentis;

Cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum *voto scripto Illmi ac Revmi Episcopi*, et *defensoris vinculi*, transmittenda esse ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Ex aedibus..., die...

L. ✕ S.

N., Iudex.

N., actuarius.

Votum autem defensoris vinculi, nisi agatur de re evidenti, ne adstipuletur parti dispensationem postulanti, sed difficultates mo-

veat, quae tum quoad ordinem processualem, tum quoad quaestionis meritum, refragantur, quamvis sophisticis argumentationibus non sit indulgendum.

XXXIV.

TESTIFICATIO DE AUTHENTICITATE EXEMPLARIS ACTORUM

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus existentibus in archivo huius Tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fidei transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Datum ..., die ...

In fidem, etc.

L. ✕ S.

N., Index.

N., actuarius.

INDEX

PARS PRIMA

DE CONSTITUTIONE TRIBUNALIS

CAPUT	Pay.
I..... De Officiali	7
II..... De iudicibus synodalibus	8
III... De auditoribus	9
IV.... De tribunali collegiali	10
V..... De promotore iustitiae et vinculi defensore	11
VI... De notario	12
VII... De cursore et apparitore	13
VIII. De iureiurando tribunalis	14

PARS SECUNDA

DE PROCESSU

I..... De libello litis introductorio	17
II.... De petitione orali	21
III... De sessionibus	22
IV.... De admissione libelli	25
V..... De reiectione libelli	26
VI.... De actu procurae	27
VII.. De gratuito patrocinio	27
VIII. De citatione	29
IX.... De traditione et relatione citationis	31
X.... De citatione contumacis	32
XI.... De decreto contumaciae	33
XII.. De citatione per edictum	34
XIII. De litis contestatione	35
XIV. De dissentione in dubiorum concordatione	37

CAPUT	Pag.
XV..... De instantia litis	38
XVI..... De positionibus seu interrogationibus	38
XVII..... De iureiurando partium	41
XVIII..... De depositione mendaci	42
XIX..... De interrogatione partium	43
XX..... De testibus	44
XXI..... De iureiurando testis	46
XXII..... De testium examine	47
XXIII..... De reprobatione testis et testificationum	51
XXIV..... De fide testium et testimoniorum	53
XXV..... De rogatoriis	54
XXVI..... De documentis iudicialibus	56
XXVII..... De productione documentorum	57
XXVIII..... De peritis et peritorum mandato	59
XXIX..... De accessu iudiciali	61
XXX..... De testimoniorum evulgatione	62
XXXI..... De intervntu tertii	63
XXXII..... De causa incidental iudiciali	64
XXXIII..... De iuramento aestimatorio	67
XXXIV..... De iuramento suppletorio	68
XXXV..... De iuramento decisorio	69
XXXVI..... De conclusione in causa	70
XXXVII..... De processus publicatione	72
XXXVIII..... De causae disceptatione	73
XXXIX..... De sententiae discussione	74
XL..... De sententiae prolatione	75
XLI..... De sententiae publicatione	77
XLII..... De querela nullitatis	78
XLIII..... De appellatione	80
XLIV..... De restitutione in integrum	82
XLV..... De executione sententiae	83

PARS TERTIA

SPECIMEN PROCESSUS MATRIMONIALIS	85
--	----

PARS QUARTA

DE CAUSIS SUPER MATRIMONIO RATO
ET NON CONSUMMATO

I.... De foro competenti	111
II.. De supplici libello ad petendam dispensationem	112
III. De tribunali constituendo	114

CAPUT	Pag.
IV.... De officio iudicis et tribunalis ministrorum	115
V..... De initio processus et de citationibus faciendis	118
VI.... De iureiurando a partibus, testibus et peritis praestando, et de interrogationibus iisdem faciendis	120
VII... De examine partium	123
VIII. De testium productione et aliis probationibus ad rem facientibus	124
IX.... De examine testium septimae manus	126
X..... De testibus, praeter alios septimae manus, ad instantiam partium vel « ex officio » a iudice inducendis	127
XI.... De instrumentis	127
XII.. De indiciis et praesumptionibus	128
XIII. De inspectione corporali	129
XIV. De processus conclusione	132
XV... De rescripto pontificiae dispensationis eiusque expeditione	133


APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QVAE UTILITER
ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS

I..... Supplex libellus uxoris oratricis	135
II.... Litterae Ordinarii ad parochum, vel ad alium in casu magis idoneum, pro informatione et coniugum reconciliatione	136
III.... Responsum parochi, si partes reconciliationem renuant	137
IV..... Informatio Ordinarii ad S. C. de disciplina sacramentorum et petitio facultatis conficiendi processum	137
V..... Actus subdelegationis peractae ab Ordinario et deputationis officialium	138
VI.... Tribunalis constitutio	139
VII... Iusiurandum praestandum a iudice subdelegato	140
VIII. Iusiurandum defensoris vinculi	140
IX.... Iusiurandum ab aliis officialibus praestandum	140
X..... Decretum pro citatione uxoris oratricis	141
XI.... Litterae iudicis ad parochum partium, pro informatione super probitate et credibilitate coniugum et testium	142
XII.. Informatio parochi	143
XIII. Litterae iudicis ad Ordinarium (quoties hic non sit iudex, et eius opera utiliter postuletur) pro exquirendis informationi- bus	144
XIV.. Litterae Ordinarii ad colligendas praefatas extraordinarias in- formationes	144
XV... Citatio uxoris oratricis	145
XVI. Relatio intimationis a cursore peractae, facienda in exemplari in actis asservato	145

CAPUT	Pag.
XVII..... Defensor vinculi exhibet interrogatoria oratrici proponenda	146
XVIII.... Iusiurandum praestandum a partibus ac testibus de veritate dicenda	146
XIX..... Examen uxoris oratricis	147
XX..... Iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando .	150
XXI..... Iusiurandum ab interprete praestandum	151
XXII.... Decretum pro citatione partis conventae	151
XXIII.... Citatio partis conventae per edictum	151
XXIV.... Examen viri conventi	152
XXV..... Decretum declarationis contumaciae partis conventae . .	153
XXVI.... Decretum citationis testium septimae manus ab oratrice inductorum	154
XXVII.. Iudiciale examen testis N. ab oratrice inducti	154
XXVIII. Index obstetrices, vel medicos, et matronam ad corporalem uxoris oratricis inspectionem ex officio designat	156
XXIX.... Iusiurandum ab obstetricibus, vel medicis, et a matrona praestandum	157
XXX..... Orale examen periti vel obstetricis	158
XXXI.... Orale examen matronae	160
XXXII.. De viri inspectione	160
XXXIII. Conclusio instructionis processus	161
XXXIV. Testificatio de authenticitate exemplaris actorum	162

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

